

PII X  
PONTIFICIS MAXIMI  
ACTA

Vol. II.



ROMAE  
EX TYPOGRAPHIA VATICANA  
1907

# EPISTOLA

VENERABILI FRATRI  
LVCIANO EPISCOPO ANNECIENSI  
ANNESSIVM

PIVS PP. X

VENERABILIS FRATER  
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

**Q**uod nuper a Salesianis de Monasterio Anneciensi Virginibus, quae omnium legiferi sui Patris operum nobilem editionem accurant, ipse Nobis attulisti munus, volumina scilicet usque adhuc edita, idque amantissimis coniunctum litteris, Nos quidem habuisse pergratum vix attinet dicere. In quo non solum respicienda pietas est erga sanctum Auctorem ab alumnis disciplinae suaegregie testata, sed opportunitas etiam Ecclesiae, sacro praesertim Ordini, praebita. Inest enim in Salesio, tamquam peculiaris, ab amore profecta Iesu Christi unde totus calet, mira quaedam persuadendi suavitas, cui non facile resisti queat, sive is mentes ab opinionum insanis ad catholicam sapientiam, sive animos a vitiositate quavis ad virtutem atque adeo ad sanctitatis fastigia traducit. Huius tanti viri documenta ac spiritus, si modo penitus in ministris sacrorum insederint, sane quam prodesse possunt vel hodie,

quum veritati divinitus traditae et christianorum integritati  
morum tam iniqua sunt tempora. Quare, uti divinae provi-  
dentiae beneficio factum arbitramur ut ille, Doctoris titulo  
rite insignitus, Ecclesiae hac aetate eluxerit, ita divinae  
benignitatis instinctu susceptum esse consilium videtur, uni-  
versa, quae ipse reliquisset, scripta rursus meliusque vul-  
gandi. Operis autem confectionem gaudemus talem existere,  
ut prudentioribus in hoc genere cumulatissime satisfaciat: id  
quod praeterquam non vulgari sanctimonialium sollertiae et  
diligentiae, tribuendum est doctissimorum navitati virorum,  
qui, pro sua sagacitate ac peritia, earum labores regunt atque  
adiuvant. Utrisque igitur, quas laudes a Decessore Nostro  
fel. rec. Leone XIII novimus rem exordientibus tributas,  
easdem Nos iam feliciter properantibus ad exitum iteramus  
perlibenter: simul oramus Deum, ut in reliquum auxiliari  
pergat, et largam pro meritis mercedem conferat. — Haec  
tu, Venerabilis Frater, qui ex auctoritate huic operi advi-  
gilas, sacris istis Virginibus ipsarumque adiutoribus signifies  
volumus, una cum Benedictione Apostolica, quam et caele-  
stium bonorum auspicem et praecipuae Nostrae benevolentiae  
testem tibi atque eis amantissime in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die 1 Ianuarii MDCCCV,  
Pontificatus Nostri anno secundo.

PIVS PP. X

# LITTERAE APOSTOLICAE

QVIBVS

PRAEFECTVRA APOSTOLICA DE CAMERON IN AFRICA OCCIDENTALI  
IN VICARIATVM APOSTOLICVM ERIGITVR

—

PIVS PP. X

AD FVTVRAM REI MEMORIAM

**C**um Nobis nihil antiquius sit, quam ut Catholicum nomen etiam in plagas longe terrarum marisque tractu dis-sitas amplificetur; quae in illius incrementum bene, prospere feliciterque eveniant, Apostolica Nostra auctoritate interpo-sita, praestare satagimus. Hoc consilio, cum relatum sit ad Nos, in Praefectura Apostolica de Cameron, iam ab anno MDCCCLXXX in Africa Occidentali rite erecta, ac curis piae Societatis Mis-sionum, vulgo Pallottinorum, concredita, eos religionis esse progressus, qui merito suadent Praefecturam eandem in Vica-riatum Apostolicum esse evehendam; Nos, collatis consiliis cum Venerabilibus Fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus negotiis Propagandae Fidei praepositis, inspecto numero haud parvo catholicorum illius regionis, stationum, scholarum, ipsorumque Missionariorum, non modo certum habuimus de bono statu religionis in Cameronensi territorio testimonium, sed etiam spem magnam concepimus maioris in posterum

incrementi, praesertim si Vicarius Apostolicus, charactere Episcopali insignitus, Missionis illius regimen teneat. Quae cum ita sint, omnes et singulos, quibus Nostrae hae Litterae favent, peculiari benevolentia complectentes, et a quibusvis excommunicationis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censemtes, motu proprio atque ex certa scientia et matura deliberatione Nostris, deque Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, praesentium vi, Praefecturam Apostolicam supradictam de Cameron in Africa Occidentali, prioribus retentis confiniis, in Vicariatum Apostolicum erigimus, Cameronensem appellandum, ab iisdem Missionariis piae Societatis Missionis deserviendum. Decernentes praesentes Litteras firmas, validas, et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, illisque, ad quos spectat et spectare poterit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos iudicari et definiri debere, atque irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignorantiter, contigerit attentari. Non obstantibus Nostra et Cancellariae Apostolicae regula de iure quaesito non tollendo, aliisque Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis, ceterisque, speciali licet atque individua mentione et derogatione dignis, in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris,  
die II Ianuarii MDCCCV, Pontificatus Nostri anno secundo.

## EPISTOLA

DILECTO FILIO NOSTRO  
PETRO LAMBERTO TIT. S. CRVCIS IN IERVALEM  
S. R. E. PRESBYTERO CARDINALI GOOSSENS  
ARCHIEPISCOPO MECHLINIENSIVM  
NECNON CETERIS VENERABILIBVS FRATRIBVS  
BELGARVM EPISCOPIS  
MECHLINIAM

PIVS PP. X

DILECTE FILI NOSTER ET VENERABILES FRATRES  
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

uinquagesimo redeunte anno postquam Deipara Virgo pontificio oraculo ab omni originis labe immunis decreta est, nobilissima Belgarum gens, quod e litteris vestris communiter datis clare percepimus, tale pietatis praebuit spectaculum, quale moribus institutisque maiorum ac simul optatis Nostris plane respondet. Etenim et urbes florentissimae et oppida remotiora, vel sublimibus indita rupibus, amice inter se coniurarunt ut, superiori mense, certa quadam composita hora diei Virgini Immaculatae sacri, se et familias et res suas et nationem in singularem Mariae clientelam solemniori ritu traderent. Haec sicut interiores animi Nostri

sensus suavissime concitarunt, ita a Nobis magnopere commendantur, quippe quae, hac devexatorum temporum acerbitate, quum ardor fidei passim deforbuit, ceteris populis insigni incitamento sint. Faustitatem rerum igitur vehementer laetamur Vobis, qui, excitae pietatis auctores, et gratiam ampliorem Nostram et Deiparae augustissimae patrocinium digniores promeriti estis. Interea, quum, hac Parente omnium tenerrima suffragante, omnia bona feliciaque a Iesu Redemptore precamur, et Vobis et gregibus vestris, paternae benevolentiae Nostrae pignus, Benedictionem Apostolicam amantissime impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die v Ianuarii MDCCCV,  
Pontificatus Nostri anno secundo.

PIVS PP. X

## EPISTOLA

DILECTO FILIO  
ALOISIO ERSM S. F.  
CONGREGATIONIS MARIANAE ACADEMICAЕ PRAESIDI  
ZAGRABIAM

PIVS PP. X

DILECTE FILI  
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

**Q**uum Nos praecipuo quodam studio erga adolescentem aetatem affecti simus, utpote quae spem omnem posteri aevi contineat, facile intelligis quam gratae habuerimus allatas nuper istius, cui praees, Sodalitii litteras. Ex his enim acceperimus, iuventutem Croaticam, ob sollemnia anni quinquagesimi a definito dogmate Immaculatae Conceptionis, magnae Dei Matri se peculiari modo consecrasse; Sodalitium autem vestrum, sicut ceteris in hac consecratione peragenda praei- verit, ita praeire voluisse in eadem Nobis nuntianda: quem vos nuntium perofficiose curastis eo Nobis die preferendum, quo die Marco Crisino, patriae vestrae lumini, beatorum Martyrum honores, auctoritate Nostra decretos, Alma haec Urbs dedicabat. Ista quidem idoneam dant Nobis causam, cur non modo religionem pietatemque vestram laudemus, sed etiam

cur eo meliora a vobis, divina adspirante gratia, expectemus.  
Etenim, beatissimae Virginis patrocinium tam studiose demerentibus, profecto licebit vobis christianarum omnium virtutum incrementa capere, ac praesertim coniunctius in dies huic Beati Petri Cathedrae adhaerescere, cum vestro et vestratium emolumento Fidei sanctae, cuius olim Crisinus inclytum martyrium fecit. Horum auspicem caelestium munierum, et paternae Nostrae benevolentiae testem, tibi, dilecte fili, Congregationis tuae sodalibus, et Croaticae iuventuti universae Apostolicam Benedictionem peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die xxi Ianuarii MDCCCV,  
Pontificatus Nostri anno secundo.

PIVS PP. X

## EPISTOLA

DILECTO FILIO  
PETRO WAGNER DOCTORI DECVRIALI  
IN LYCEO MAGNO FRIBVRGENSI  
ET GENERALIS CONVENTVS STVDIOSORVM CANTVS GREGORIANI  
MODERATORI  
FRIBVRGVM HELVETIORVM

---

## PIVS PP. X

DILECTE FILI  
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

uemadmodum servari praecepta gaudemus, quae fidelium utilitati subinde damus, ita nunciato a te conventu delectamur, in quem studiosi Gregoriani concentus viri ex omni populo confluent, hac una vehementer permotire, ut, quae Nos de musica sacra monuimus, ad usum fideliter adducant. Coetum autem et frequentem coniici futurum, et e viris coalitum censeri, qui non modo musicae peritiam artis, sed etiam, id quod magni in re sacra interest, pietatem sensumque alte teneant christianae fidei, valde profecto laetamur, capimusque inde argumentum explorati faustique exitus certum. At illud uberiorem Nobis fructum e laboribus vestris portendit, deliberatum vobis esse non modo voluntates erga

avitum Ecclesiae Romanae cantum admoveare atque excitare verbis, sed exempla etiam, adiuvandae praxi perutilia, ob oculos ponere, unde probe ac rite possint studiosi perspicere quantum et artis et elegantiae et religionis in servandis musicae sacrae p̄aeceptis insit. Animatis egregie vobis multam sese ac facilem impertiat gratia divina, illudque ex alacritate vestra eliciat optatissimum commodum, ut ea demum existat in catholico orbe voluntas, p̄aeceptis de sacro concentu Nostris parere diligenter. Tibi interea p̄aincipuam benevolentiam testamur, auspicemque munerum caelestium tibi atque universis, qui in memoratum coetum se conferent, Benedictionem Apostolicam peramanter in Domino imperitimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die xxiii Ianuarii MDCCCCV,  
Pontificatus Nostri anno secundo.

PIVS PP. X

## EPISTOLA

VENERABILI FRATRI

STEPHANO MARIAE ARCHIEPISCOPO CAMERACENSIVM

CAMERACVM

PIVS PP. X

VENERABILIS FRATER

SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

**F**istolam a te pastoralem excepimus, fideli Cameracensi populo ea mente scriptam ut hortamenta adderentur publice ad conferendas liberali manu symbolas, quae decimo quoque anno solent pro catholici Lycei magni Insulensis vita profectuque dari. Talis ista sane res est, quae et Nobis videatur commendanda summopere, et, vel eo solum quod est nunciata, laetitiam cordi Nostro multam crearit. Apte equidem valdeque etiam utiliter illud in memoriam revocasti populo, institutione ac doctrina adolescentium catholica, salutem contineri reipublicae. Huius sunt arguento rei prae-cellentes habitu in societate hominum fructus ubicumque in honore fuit catholica institutio et scientia, ista etiam in urbe, e qua varias in orbis regiones salubris influxit doctrinae virtutisque vis. Quapropter et gentem omnem Gallorum et tuum in primis populum responsuros abunde invitationi fidi-

mus; praeclare enim eorum animi entent studio quodam erga optima quaeque perardenti. Horum vero voluntatem tuumque generosum opus gratia e caelo uber fecundet, divinaeque opis auspicium adsit Apostolica Benedictio, quam tibi atque iis omnibus, quorum laudatum Lyceum liberalitatem persentiet, peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die xxxi Ianuarii MDCCCCV,  
Pontificatus Nostri anno secundo.

PIVS PP. X

## EPISTOLA

DILECTO FILIO  
LAVRENTIO JANSENS  
SACERDOTI BENEDICTINO  
ROMAM

---

PIVS PP. X

DILECTE FILI  
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

**Q**uae afferuntur ad Nos de ornatu pernibili, quo Cassinense Benedicti et Scholasticae hypogaeum excolitur, ea quidem uti pergrata Nobis sunt, ita commendationem nostram peculiarem postulant. Etenim in hoc opere, non solum pietas placet filiorum, sanctissimo Parenti eiusque innocentissimae Sorori honorem tribuentium iustum ac debitum; verum etiam cultiorum ex variis gentibus voluntas hominum, memoriam viri, ob immortalia ipsius promerita, summae venerationis testimonio prosequentium. Accedit huc maxima quaedam eiusdem operis opportunitas. Nam quibus temporibus tanta in invidia sunt Religiosorum Ordines, eorumque instituta ut noxia aut inutilia civili societati traduci solent, optime cadit, ut hominum oculos animosque ad se convertat Cassinense Coenobium, vetustissimum illud

humanitatis et artium domicilium; atque ab oblivione multorum revocetur ille Monachorum in Occidente Pater, cui, magnam partem, hunc suum civilem cultum Europa debet; et appareat, ingeniorum sollertia haudquaquam in alumnis eius diuturnitate defecisse. Itaque te, dilecte fili, ceterosque eruditos viros, qui, te praeside, rem adeo vestro Ordini et Ecclesiae honorificam curant, libenter ornamus laude, eamque simul tributam volumus sodalibus illis tuis, qui, magistro, uti intelligimus, dilecto filio Desiderio Lenz, in re exequenda artificio quodam utuntur, mire ad effingenda mystica idoneo; ita ut dignitati et personae et loci egregie satisfaciant. Ut autem bene posita sunt initia, sic sperandum est, fore ut cetera consequantur, adiuvante diligentiam operamque vestram bonorum liberalitate. Interea divinae opis auspicem et benevolentiae Nostrae singularis testem tibi, dilecte fili, aliisque, quos supra memoravimus, item omnibus, qui coepta vestra aliquid conferendo promoveant, Apostolicam Benedictionem peramanter in Domino imperitimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die v Februarii anno  
MDCCCCV, Pontificatus Nostri secundo.

PIVS PP. X

## LETTERA

AL DILETTO FIGLIO

VINCENZO SARDI

PROTONOTARIO APOSTOLICO

E NOSTRO SEGRETARIO DEI BREVI AI PRINCIPI

—

*Diletto Figlio,*

**A**bbiamo letti molti degli Atti e Documenti relativi alla definizione del dogma della Immacolata Concezione da lei pubblicati, e Ci siamo veramente compiaciuti d'aver accolto il di lei pensiero, quand' ella Ci chiedeva il permesso di darli alle stampe. La pubblicazione infatti dei dotti lavori di tanti eminenti Teologi, se influirà mirabilmente a far conoscere sempre meglio il tesoro di grazie, che è la Vergine Immacolata, e ad accrescerne la divozione e la fiducia; dimostrerà pure lo studio, la prudenza e la ponderazione premesse dall'augusto Nostro Predecessore Pio IX alla solenne promulgazione del dogma.

Ci congratuliamo pertanto con lei anche per questo riuscitissimo suo lavoro, che sarà certo accolto con gradi-

mento specialmente dal Clero, e auguriamo che Dio benedetto, per intercessione dell' Immacolata, la ricompensi di tante fatiche, accordandole i migliori conforti, dei quali sia caparra la Benedizione Apostolica, che le impartiamo con effusione di cuore.

Dal Vaticano, li 6 Febbraio 1905.

PIVS PP. X

## EPISTOLA

DILECTO FILIO

AMADEO GHIZZONI SACERDOTI

MODERATORI COMMENTARIJ « IL CATECHISTA CATTOLICO »

PLACENTIAM

PIVS PP. X

DILECTE FILI

SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

onsilium illud, quod significasti nuper te tuaeque adiutores et fautores operaे cepisse, de altero catholicorum conventu, hoc anno, super Christiana Catechesi habendo, Nobis probatur magnopere; quippe ad id, quod urgemus, propositum, apprime conducit. Nam ut omnia instaurentur in Christo, id est ut mores et instituta populorum privatim et publice ad christianam restituantur formam, fieri profecto non potest, nisi vulgo doctrina et praecepta Christi mentes animosque rursus imbuerint. Et vere, malorum omnium, quibus haec laborat aetas, id tamquam caput est, incredibilis quaedam in tanto apparatu doctrinarum et ardore discendi, ignoratio maximarum rerum, quae religione continentur: cui vos malo libenter videmus, pro virili parte, sollerti cum diligentia remedium quaerere. Hanc enim sol-

lertiam satis agnovimus in eo libello, quem litteris vestris adieciſtis, de rebus in conuentu tractandis: quas quidem sci-  
tote Nobis non minus opportunas videri, quam Episcopo  
vestro, huius disciplinae peritissimo, visae sint. Quare ala-  
cres, Antistite optimo praeeunte, incepturn peragite, confisi  
non defuturam laboribus vestris nec opem, nec mercedem  
a Deo uberrimam. Utriusque auspicem et peculiariſ Noſtræ  
benevolentiae testem, vobis omnibus, in primisque Venerabili  
eidem Fratri, tibique, dilecte fili, Apostolicam Benedictio-  
nem peramanter in Domino impertimus.

Datum Romæ apud S. Petrum, die VIII Februarii anno  
MDCCCCV, Pontificatus Nostri secundo.

PIVS PP. X

## EPISTOLA

DILECTO FILIO NOSTRO  
FRANCISCO MARIAE TIT. S. MARIAE IN VIA  
S. R. E. PRESBYTERO CARDINALI RICHARD  
ARCHIEPISCOPO PARISIENSIVM  
LVTETIAM PARISIORVM

---

PIVS PP. X

DILECTE FILI NOSTER  
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

**B**enevolentiam in te Nostram, eamque praeclaris consentaneam meritis, iam inde ab inito Pontificatu Summo profiteri assueti, facere equidem nullo modo possumus ut ea Nobis amplissima praeterlabatur confirmandae dilectionis occasio, quae e memoria fauste praebetur sacerdotii tui ante annos sexaginta suscepti, itemque e natali episcopatus tui die, qui tertium supra tricesimum annum emensus prospere est. O utinam sospitem diu incolumemque adservare Deus fidelem illum ac prudentem Praesulem velit, qui datus tanto cum fructu Bellicensi primum gregi, ac Parisiensi dein populo fuit! Haec libet adprecari tibi desiderio animi summo: haec tibi amantissima etiam deprecetur apud Deum Virgo, cuius suavibus clara praesentiis proxima recolitur mensis huius

undecima dies, celebritati peragendae tuae sane quam bene delecta. Omina vero Nostra quo uberior e caelo gratia fecundet, Apostolicam tibi Benedictionem peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die IX Februarii MDCCCCV,  
Pontificatus Nostri anno secundo.

PIVS PP. X

# LITTERAE APOSTOLICAE

QVIBVS

THEOLOGICAE FACVLATI CATHOLICAE

VNIVERSITATIS STVDIORVM BONNENSIS E DIOECESI COLONIENSI

IVS CONCEDITVR ACADEMICOS GRADVS CONFERENDI

—

## PIVS PP. X

AD FVTVRAM REI MEMORIAM

um, sicuti admotae Nobis ab Archiepiscopo Coloniensi preces praeseferunt, peropportum sit, ut theologicae facultati catholicae in studiorum Universitate Bonnae institutae academicos gradus conferendi ius Apostolica Nostra auctoritate tribuamus, simulque ipsius facultatis Decano privilegium concedamus gestandi, quandocumque in huiusmodi gradibus conferendis suo munere defungitur, rubri coloris biretum; Nos, quibus nihil antiquius est aut acceptius quam ut theologicae institutiones maiora in dies incrementa percipient, omnibus rei momentis attente ac mature persensis, precibus huiusmodi annuendum censuimus. Quamobrem omnes ac singulos, quibus Nostrae hae Litterae favent, peculiari benevolentia complectentes, et a quibusvis excommunicationis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis, si quas forte incurrerint, huius tantum

rei gratia absventes et absolutos fore censentes, facultati theologicae catholicae existenti in Universitate studiorum Bonnae, intra fines Dioecesis Coloniensis, de Apostolica Nostra auctoritate, praesentium vi, ius concedimus provehendi ad Licentiae gradum, et Doctoris Laurea decorandi discipulos, facto tamen legitimo periculo, ac eiusdem facultatis Decano, quandocumque in gradibus conferendis suo munere defungitur, bireti rubri usum concedimus; hisce tamen adamussim servatis conditionibus ac legibus: nimirum ut antecessores in dictam theologicam facultatem adlecti, docendi munus habeant ab ecclesiastica auctoritate demandatum; iidemque, quod ad doctrinam studiorumque theologicorum rationem, inspectioni ac moderationi auctoritatis ipsius Ecclesiae obnoxii sint, et circa fidei professionem Sacrorum Canonum praecepta servent; tandem ut Theologiae Laurea a facultate praedicta nequeat conferri, nisi antea venia et potestas, singulis vici- bus, impetrata sit ab Archiepiscopo, cuius etiam erit theses et lucubratas dissertationes inspicere, nec non periculorum instituendorum exitum agnoscere. Pari insuper auctoritate et similiter praesentium tenore, Coloniensi sacrorum Antistiti concedimus omnes et singulas necessarias et oportunas facul- tates, ut, quae superius praescripta sunt, suos plenarios atque integros effectus sortiantur. Decernentes praesentes Litteras firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, illisque ad quos spectat et spectare poterit in omnibus et per omnia plenis- sime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos iudicari et definiri debere, atque irri- tum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate,

scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Non obstantibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis, nec non supra-dictae studiorum Universitatis, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, ceterisque speciali licet et individua mentione ac derogatione dignis, in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris,  
die xv Februarii MDCCCCV, Pontificatus Nostri anno secundo.

A. CARD. MACCHI

## EPISTOLA

DILECTO FILIO

A. A. PAQVET PROTONOTARIO APOSTOLICO

DECANO FACVLTATIS THEOLOGICAE

LYCEI MAGNI LAVALLIENSIS

QVEBECVM

—

PIVS PP. X

DILECTE FILI

SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

**S**ena nuper volumina accepimus a te oblata, quibus tu, suasore atque auspice Ven. Fr. Ludovico Archiepiscopo tuo, totam Aquinatis doctrinam amplectus es, tum quae dogmata, tum quae sacramenta pertractat. Officium devotionis tuae pergratum habuimus, eo vel magis quod conscripti a te libri non uno ex capite praeclaram merentur laudem. Inest enim in iis romanae sapientiae sapor, quem tu quondam romanarum scholarum alumnus diligenter hausisti; inest et testimonium insigne illius obedientiae, qua tu et universum Lyceum magnum Lavalliense praescripta a Decessore Nostro de Sancti Thomae doctrinis terendis ac propugnandis sancte exequimini. Tibi praeterea laudi vertendum est quod, cum primus apud Canadienses theologiae tractatus in lucem edi-

deris, id feceris singulari doctrinae soliditate pellucidoque stilo, nihilque omittens, quod temporum nostrorum opportunitatibus magis esset accommodatum. Speramus fore ut, tuo usi exemplo, qui theologicas disciplinas in Universitate ista sunt tradituri, numquam ab Aquinatis doctrinis discedant, quibus, quo melius alumni sacri cleri fuerint imbuti, eo aptiores erunt ad omne genus errores retundendos. Benevolentiae Nostrae pignus Apostolicam Benedictionem tibi et Universitatis Lavallensis antecessoribus et alumnis amantisime in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die xx Februarii MCCCCV,  
Pontificatus Nostri anno secundo.

PIVS PP. X

DE PROTONOTARIIS APOSTOLICIS, PRAELATIS VRBANIS,

ET ALIIS

QVI NONVLLIS PRIVILEGIIS PRAEALATORVM PROPRIIS FRVVNTVR

—

PIVS PP. X

MOTV PROPRIO

**E**nter multiplices curas, quibus ob officium Nostrum Apostolicum premitur, illa etiam imponitur, ut Venerabilium Fratrum Nostrorum, qui episcopali charactere prae fulgent, pontificales praerogativas, uti par est, tueamur. Ipsi enim Apostolorum sunt Successores; de iis loquitur Cyprianus (*ep. 69, n. 8*) dicens, *Episcopum in Ecclesia esse et Ecclesiam in Episcopo*; nec ulla adunatur Ecclesia sine Episcopo suo, imo vero Spiritus ipse Sanctus posuit *Episcopos regere Ecclesiam Dei* (*Act. xx, 28*). Quapropter *Presbyteris superiores esse Episcopos*, iure definit Tridentinum Concilium (*Sess. xxiii, c. 7*). Et licet Nos, non tantum honoris, sed etiam iurisdictionis principatum supra ceteros Episcopos, ex Christi dispositione, tamquam Petri Successores, geramus, nihilominus Fratres Nostri sunt Episcopi, et sacra Ordinatione pares. Nostrum ergo est, illorum excelsae dignitati sedulo prospicere, eamque pro viribus coram christiano populo extollere.

Ex quo praesertim Pontificalium usus per Decessores Nostros Romanos Pontifices aliquibus Praelatis, episcopali

charactere non insignitis, concessus est, id saepe accidit, ut, vel malo hominum ingenio, vel prava aut lata nimis interpretatione, ecclesiastica disciplina haud leve detrimentum ceperit, et episcopalis dignitas non parum iniuriae.

Quum vero de huiusmodi abusibus ad hanc Apostolicam Sedem Episcoporum querelae delatae sunt, non abnuerunt Praedecessores Nostri iustis eorum postulationibus satisfacere, sive Apostolicis Litteris, sive S. Rituum Congregationis decretis plures ad rem editis. In id maxime intenderunt Benedictus XIV, per epistolam S. Rituum Congregationis datam die **xxxi Martii MDCCXLIV** « *SS̄mus Dominus Noster* », iterumque idem Benedictus, die **xxviii Februarii MDCCLII** « *In throno iustitiae* »; Pius VII, die **xiii Decembris MDCCCXVIII** « *Cum innumeri* », et rursus idem Pius, die **iv Iulii MDCCCXXIII** « *Decet Romanos Pontifices* », et Pius IX die **xxix Augusti MDCCCLXXII** « *Apostolicae Sedis officium* ». E S. Rituum Congregatione memoranda in primis decreta quae sequuntur: de Praelatis Episcopo inferioribus, datum die **xxvii mensis Septembris MDCLIX** et ab **Alexandro VII** confirmatum; dein decreta diei **xxii Aprilis MDCLXXXIV** de Canonicis Panormitanis; diei **xxix Ianuarii MDCCLII** de Canonicis Urbinatibus; diei **xxvii Aprilis MDCCCXVIII** de Protonotariis Titularibus, a **Pio PP. VII** approbatum; ac diei **xxvii Augusti MDCCCXXII** de Canonicis Barensibus.

Hisce tamen vel neglectis, vel ambitioso conatu, facili aufugio, amplificatis, hac nostra aetate saepe videre est Praelatos, immoderato insignium et praerogativarum usu, praesertim circa Pontificalia, viliores reddere dignitatem et honorem eorum, qui sunt revera Pontifices.

Quamobrem, ne antiquiora posthabeantur sapienter a Praedecessoribus Nostris edita documenta, quin imo, ut iis novum robur et efficacia adiiciatur, atque insuper praesentis aevi indoli mos iuste geratur, sublatis omnibus consuetudinibus in contrarium, nec non amplioribus privilegiis, praerogativis, exemptionibus, indultis, concessionibus, a quibusvis personis, etiam speciali vel specialissima mentione dignis, nominatim, collective, quovis titulo et iure, acquisitis, assertis, aut praetensis, etiam Praedecessorum Nostrorum et Apostolicae Sedis Constitutionibus, Decretis, aut Rescriptis, confirmatis, ac de quibus, ad hoc, ut infirmentur, necesse sit peculiariter mentionem fieri, exquisito voto aliquot virorum in canonico iure et liturgica scientia peritorum, reque mature perpensa, motu proprio, certa scientia, ac de Apostolicae potestatis plenitudine, declaramus, constituimus, praecipimus, ut in posterum, Praelati Episcopis inferiores, aliique, de quibus infra, qua tales, non alia insignia, privilegia, praerogativas audeant sibi vindicare, nisi quae hoc in Nostro documento, Motu Proprio dato, continentur, eademque ratione ac forma, qua hic subiiciuntur.

#### A). — DE PROTONOTARIIS APOSTOLICIS.

1. — Quatuor horum habeantur ordines : — I.<sup>o</sup> Protonotarii Apostolici de numero Participantium , septem qui Collegium privative constituunt ; — II.<sup>o</sup> Protonotarii Apostolici Supranumerarii ; — III.<sup>o</sup> Protonotarii Apostolici ad instar Participantium ; — IV.<sup>o</sup> Protonotarii Apostolici Titulares , seu honorarii (extra Urbem).

#### I. — PROTONOTARII APOSTOLICI DE NVMERO PARTICIPANTIVM.

2. — Privilegia, iura, praerogativas et exemptiones quibus, ex Summorum Pontificum indulgentia, iamdudum gaudet Collegium Protonotariorum Apostolicorum de numero Participantium , in propriis Statutis nuperrime ab ipsomet Collegio iure reformatis inserta, libenter confirmamus, prout determinata inveniuntur in Apostolicis Documentis inibi citatis, ac praesertim in Constitutione « *Quamvis peculiaris* » Pii PP. IX, diei ix mensis Februarii MDCCCLIII, paucis exceptis, quae, uti infra, moderanda statuimus :

3. — Protonotarii Apostolici de numero Participantium habitu praelatitio rite utuntur, et alio, quem vocant *pianum*, atque insignibus, prout infra numeris 16, 17, 18 describuntur.

4. — Habito quotidiano incidentes, caligas, collare et pileum ut ibidem n. 17 gestare poterunt, ac insuper Annulum gemmatum, quo semper iure utuntur, etiam in privatis Missis aliisque sacris functionibus.

5. — Quod vero circa usum Pontificalium insignium, Xystus V in sua Constitutione « *Laudabilis Sedis Apostolicae sollicitudo* », diei vi mensis Februarii MDLXXXVI, Protonotariis Participantibus concessit : « *Mitra et quibuscumque aliis Pontificalibus insignibus, etiam in Cathedralibus Ecclesiis, de illorum tamen Praesulum, si praesentes sint,*

« si vero absentes, absque illorum consensu, etiam illis irrequisitis,  
« extra Curiam uti »; in obsequium praestantissimae Episcoporum  
dignitatis, temperandum censuimus, ut pro Pontificalibus, extra Urbem  
tantum agendis, iuxta S. R. C. declarationem quoad Episcopos extra-  
neos vel Titulares, diei iv mensis Decembris mcmiii, ab Ordinario loci  
veniam semper exquirere teneantur, ac insuper consensum Praelati  
Ecclesiae exemptae, si in ea sit celebrandum.

6. — In Pontificalibus peragendis, semper eis inhibetur usus  
throni, pastoralis baculi et cappae; item septimi candelabri super  
altari, et plurium diaconorum assistentia; Faldistorio tantum uten-  
tur, apud quod sacras vestes assumere valeant. Pro concessis enim  
in citata Xysti V Constitutione, « quibuscumque aliis Pontificalibus  
insignibus », non esse sane intelligenda declaramus ea, quae ipsis  
Episcopis extra dioecesim sunt interdicta. Loco *Dominus vobiscum*  
numquam dicent *Pax vobis*; trinam benedictionem impertientur num-  
quam, nec versus illi praemittent *Sit nomen Domini et Adiutorium*,  
sed in Missis tantum pontificalibus, Mitra cooperti, cantabunt for-  
mulam *Benedicat vos*, de more populo benedicentes: a qua bene-  
dictione abstinebunt, assistente Episcopo loci Ordinario, aut alio  
Praesule, qui ipso Episcopo sit maior, ad quem pertinet eam im-  
pertiri.

7. — Ad Ecclesiam accedentes, Pontificalia celebraturi, ab eaque  
recedentes, habitu praelatitio induti, supra Mantelletum Crucem gestare  
possunt pectoralem, a qua alias abstinebunt; et nisi privatim per  
aliam portam ingrediantur, ad fores Ecclesiae non excipientur ut  
Ordinarius loci, sed a Caeremoniario ac duobus clericis, non tamen  
Canonicis seu Dignitatibus; seipsos tantum aqua lustrali signabunt,  
tacto aspersorio illis porrecto, et per Ecclesiam procedentes populo  
numquam benedicent.

8. — Crux pectoralis, a Protonotariis Participantibus in pontifi-  
calibus functionibus adhibenda, aurea erit, cum unica gemma, pendens  
a funiculo serico *rubini* coloris commixto cum auro, et simili flocculo  
retro ornato.

9. — Mitra in ipsorum Pontificalibus erit ex tela aurea (numquam tamen pretiosa) quae cum simplici alternari possit, iuxta Caerem. Episcop. (*I. XVII. nn. 2 et 3*); nec alia Mitra, nisi simplici, diebus poenitentialibus et in exsequiis eis uti licebit. Pileolo nigri coloris sub Mitra dumtaxat uti poterunt.

10. — Romae et extra, si ad Missam lectam cum aliqua solemnitate celebrandam accedant, habitu praelatitio induiti, praeparationem et gratiarum actionem persolvere poterunt ante altare, in genuflexorio pulvinaribus tantum instructo, vestes sacras ab altari assumere, aliquem clericum *in Sacris* assistentem habere, ac duos inferiores ministros. Fas erit praeterea Canonem et Palmatoriam, Urceum et Pelvum cum Manutergio in lance adhibere. In aliis Missis lectis, a simplici Sacerdote ne differant, nisi in usu Palmatoriae. In Missis autem cum cantu, sed non pontificalibus, uti poterunt etiam Canone et Urceo cum Pelvi et lance ad Manutergium.

11. — Testimonium autem exhibere cupientes propensae voluntatis Nostrae in perinsignem hunc coetum, qui inter cetera praelatorum Collegia primus dicitur et est in romana Curia, Protonotariis Participantibus, qui a locorum Ordinariis sunt exempti, et ipsos Abbatibus praecedunt, facultatem facimus declarandi omnibus, qui Missae ipsorum intererunt, ubivis celebranda, sive in oratoriis privatis, sive in altari portatili, per eiusdem Missae auditionem diei festi praeceperite planeque satisfieri.

12. — Protonotarius Apostolicus de numero Participantium, qui ante decimum annum ab adepto Protonotariatu Collegium deseruerit, aut qui a decimo saltem discesserit, et per quinque alias, iuxta Xysti V Constitutionem, iisdem privilegiis gavisus fuerit, inter Protonotarios *ad instar* eo ipso erit adscriptus.

## II. — PROTONOTARIIS APOSTOLICIS SVPRANUMERARIIS.

13. — Ad hunc Protonotariorum ordinem nemo tamquam privatus aggregabitur, sed iis tantum aditus fiet, qui Canonicatu potiuntur in tribus Capitulis Urbis Patriarchalium, id est Lateranensis Ecclesiae, Vaticanae ac Liberiana; itemque iis, qui Dignitate aut Canonicatu potiuntur in Capitulis aliarum quarundam extra Urbem ecclesiarum, quibus privilegia Protonotariorum *de numero* Apostolica Sedes concesserit, ubique fruenda. Qui enim aut in propria tantum ecclesia vel dioecesi titulo Protonotarii aucti sunt, aut nonnullis tantum Protonotariorum privilegiis fuerunt honestati, neque Protonotariis aliisve Praelatis Urbanis accensebuntur, neque secus habebuntur ac illi, de quibus hoc in Nostro documento, nn. 80 et 81, erit sermo.

14. — Canonici omnes, etiam Honorarii, tum Patriarchalium Urbis, tum aliarum ecclesiarum, de quibus supra, tamquam singuli, insignibus et iuribus Protonotariorum ne fruantur, nec gaudeant nomine et honore Praelatorum, nisi prius a Summo Pontifice inter Praelatos Domesticos per Breve adscripti sint, et alia servaverint, quae infra num. 34 dicuntur. Protonotarius autem *ad instar*, qui Canonicis eiusmodi accenseatur, eo ipso privilegia Protonotarii Supranumerarii acquirat.

15. — Protonotarii Apostolici Supranumerarii subiecti remanent proprio Ordinario, ad formam Concilii Tridentini (*Sess. 24, C. 11*), ac eorum beneficia extra Romanam Curiam vacantia Apostolicae Sedi minime reservantur.

16. — Habitum praelatitium gestare valent coloris violacei, in sacris functionibus, idest caligas, collare, talarem vestem cum cauda, nunquam tamen explicanda, neque in ipsis Pontificalibus celebrandis: sericam zonam cum duobus flocculis pariter sericis a laeva pendentibus, et Palliolum, seu Mantelletum supra Rocchettum: insuper nigrum biretum flocculo ornatum coloris *rubini*: pileum item nigrum cum vitta serica, opere reticulato exornata, eiusdem *rubini* coloris,

cuius coloris et serici erunt etiam ocelli, globuli, exiguis torulus collum et anteriores extremitates vestis ac Mantelletti exornans, eorum subsutum, itemque reflexus (*paramani*) in manicis (etiam Rocchetti).

17. — Alio autem habitu uti poterunt, Praelatorum proprio, vulgo *piano*, in congregationibus, conventibus, solemnibus audientiis, ecclesiasticis et civilibus: idest caligis et collari violacei coloris, veste talari nigra cum ocellis, globulis, torulo ac subsuto, ut supra, *rubini* coloris, serica zona violacea cum laciniis pariter sericis et violaceis, peramplo pallio talari item serico violaceo, non undulato, absque subsuto aut ornamentis quibusvis alterius coloris, ac pileo nigro cum chordulis et sericis flocculis *rubini* coloris. Communi habitu incedentes, caligas et collare violacei coloris ac pileum gestare poterunt, ut supra dicitur.

18. — Propriis insignibus seu stemmatibus imponere poterunt pileum cum lemniscis ac flocculis duodecim, sex hinc, sex inde pendentibus, eiusdem *rubini* coloris, sine Cruce vel Mitra.

19. — Habitum et insignia in choro Dignitates et Canonici Protonotarii gerent, prout Capitulo ab Apostolica Sede concessa sunt; poterunt nihilominus veste tantum uti violacea praelatitia cum zona sub choralibus insignibus, nisi tamen alia vestis tamquam insigne chorale sit adhibenda. Pro usu Rocchetti et Mantelletti in choro, attendatur utrum haec sint speciali indulto permissa; alias enim Protonotarius, praelatitio habitu assistens, neque locum inter Canonicos tenebit, neque distributiones lucrabitur, quae sodalibus accrescent.

20. — Cappam laneam violaceam, pellibus ermellini hiberno tempore, aestivo autem *rubini* coloris serico ornatam, induent in Cappellis Pontificiis, in quibus locum habebunt post Protonotarios Participantes. Ii vero Canonici Protonotarii, qui Praelati non sunt, seu nomine tantum Protonotariorum, non vero omnibus iuribus gaudent, ut nn. 13 et 14 dictum est, in Cappellis locum non habebunt, neque ultra limites Pontificiae concessionis habitu praelatitio et *piano*, de quibus nn. 16 et 17, uti unquam poterunt.

21. — Habitu praelatitio induti, clericis quibusvis, Presbyteris, Canonicis, Dignitatibus, etiam collegialiter unitis, atque Praelatis Ordinum Regularium, quibus Pontificalium privilegium non competit, antecedunt, minime vero Vicariis Generalibus vel Capitularibus, Abbatibus, et Canonicis Cathedralium collegialiter sumptis. Ad Crucem et ad Episcopum non genuflectent, sed tantum sese inclinabunt; dupli ductu thurificabuntur: item si sacris vestibus induti functionibus in choro adsistant.

22. — Gaudent indulto Oratorii privati domi rurique, ab Ordinario loci visitandi atque approbandi, in quo, etiam solemnioribus diebus (exceptis Paschatis, Pentecostes, Assumptionis B. M. V., SS. Apostolorum Petri et Pauli, nec non loci Patroni principalis festis) celebrare ipsi Missam poterunt vel alias Sacerdos, in propria, consanguineorum, affinium, familiarium et coabitantium communitatem, etiam ad paeceptum implendum. Privilegio autem altaris portatilis omnino carere se sciant.

23. — Licet iisdem acta confidere de causis Beatificationis et Canonizationis Servorum Dei, quo tamen privilegio uti non poterunt, si eo loci alter sit e Collegio Protonotariorum Participantium.

24. — Rite eliguntur in Conservatores Ordinum Regularium aliorumque piorum Institutorum, in Iudices Synodales, in Commisarios et Iudices Apostolicos, etiam pro causis beneficialibus et ecclesiasticis. Item apud ipsos professionem Fidei recte emittunt, qui ex officio ad eam adiunguntur. Ut autem iuribus et praerogativis, hic et num. 23 expressis, frui possint, Canonici Protonotarii in S. Theologia aut in Iure Canonico doctorali laurea insigniti sint oportet.

25. — Extra Urbem, et impetrata venia Ordinarii loci, cui erit arbitrium eam tribuendi quoties et pro quibus Solemnitatibus voluerit, atque obtento etiam consensu Praelati ecclesiae exemptae, in qua forte celebrandum sit, pontificali ritu Missas et Vesperas aliasque sacras functiones peragere poterunt. Quod functiones attinet collegialiter, seu Capitulo praesente, celebrandas, a propriis Constitutionibus, de Ordinarii consensu, provideatur, iuxta Apostolica Documenta.

26. — Ad ecclesiam accedentes, Pontificalia celebraturi, ab eaque recedentes, habitu praelatitio induiti, supra Mantelletum Crucem gestare possunt pectoralem (a qua alias abstinebunt): et nisi privatim per aliam portam ingrediantur, ad fores ecclesiae non excipientur ut Ordinarius loci, sed a Caeremoniario et duobus clericis, non tamen a Canonicis seu Dignitatibus: seipso tantum aqua lustrali signabunt, tacto aspersorio sibi porrecto, et per ecclesiam procedentes populo numquam benedicent.

27. — Pontificalia agent ad Faldistorium, sed vestes sacras in sacrario assument et deponent, quae in Missis erunt: *a) Caligae et sandalia serica cum orae textu ex auro; b) Tunicella et Dalmatica; c) Crux pectoralis sine gemmis, e chordula serica *rubini* ex integro coloris pendens, auro non intertexta, simili flocculo retro ornata; d) Chirothecae sericae, sine ullo opere phrygio, sed tantum orae textu auro distinctae; e) Annulus cum unica gemma; f) Mitra ex serico albo, sine ullo opere phrygio, sed tantum cum orae textu ex auro, et cum laciniis similiter aureis, quae cum simplici ex lino alternari poterit, iuxta Caerem. Episcopor. (I. XVII. nn. 2 et 3); haec vero simplex, diebus poenitentialibus et in exsequiis una adhibebitur; g) Canon et Palmatoria, a qua abstinendum coram Ordinario seu maiori; h) Urceus et Pelvis cum Mantili in lance; i) Gremiale.*

28. — In Vesperis solemnibus (post quas benedictionem non impertinentur) aliquique sacris functionibus pontificaliter celebrandis, Mitra, Cruce pectorali, Annulo utentur, ut supra. Pileolus nigri dumtaxat coloris, nonnisi sub Mitra ab eis poterit adhiberi.

29. — In pontificalibus functionibus eisdem semper interdicitur usus throni, pastoralis baculi et cappae; in Missis autem pontificalibus, septimo candelabro super altari non utentur, nec plurimum diaconorum assistentia; Presbyterum assistentem pluviali indutum habere poterunt, non tamen coram Episcopo Ordinario aut alio Praesule, qui ipso Episcopo sit maior; intra Missam manus lavabunt ad Ps. *Lavabo* tantum. Loco *Dominus vobiscum*, nunquam dicent *Pax vobis*; trinam benedictionem impertientur nunquam, nec

.versus illi praemittent *Sit nomen Domini et Adiutorium*, sed in Missis tantum pontificalibus, Mitra cooperti, cantabunt formulam *Benedicat vos*, de more populo benedicentes: a qua benedictione abstinebunt assistente Episcopo loci Ordinario, aut alio Praesule, qui ipso Episcopo sit maior, cuius erit eam impertiri. Coram iisdem, in pontificalibus celebrantes, Mitra simplici solummodo utantur, et dum illi sacra sumunt paramenta, aut solium petunt vel ab eo recedunt, stent sine Mitra.

30. — De speciali commissione Ordinarii, Missam quoque pro defunctis, pontificali ritu, celebrare poterunt Protonotarii Supranumerarii, cum Absolutione in fine, Mitra linea utentes; numquam tamen eamdem Absolutionem impertiri illis fas erit, post Missam ab alio celebratam; quod ius uni reservatur Episcopo loci Ordinario.

31. — Romae et extra, si ad Missam lectam cum aliqua solemnitate celebrandam accedant, habitu praelatitio induiti, præparationem et gratiarum actionem persolvere poterunt ante altare in genuflexorio pulvinaribus tantum instructo, vestes sacras ab altari assumere (non tamen Crucem pectoralem et Annulum), aliquem clericum in *Sacris* assistentem habere, ac duos inferiores ministros; Canonem et Palmatoriam, Urceum et Pelvum cum Manutergio in lance adhibere; sed ante *ȝ. Communio* manus ne lavent. In aliis Missis lectis, a simplici Sacerdote ne differant, nisi in usu Palmatoriae: in Missis autem cum cantu, sed non pontificalibus, uti poterunt etiam Canone, Urceo cum Pelvi, ac lance ad Manutergium, nisi ex statutis vel consuetudine in propria ecclesia haec prohibeantur.

32. — Canonico Protonotario Apostolico Supranumerario Pontificalia peragere cum ornamentis ac ritu superius enunciatis fas non erit, nisi intra terminos propriae dioecesis; extra autem, nonnisi ornatu et ritu, prout Protonotarius *ad instar*, ut infra dicetur, concessum est.

33. — Cum tamen Canonicos trium Patriarchalium Urbis, ob earumdem praestantiam, aequum sit excellere privilegiis, eo vel magis quod in Urbe, ob Summi Pontificis praesentiam, Pontificalium privilegium exercere nequeunt, illis permittitur, ut in ecclesiis totius terrarum

orbis, impetrata Ordinariorum venia, ac Praesulum ecclesiarum exemplarum consensu, Pontificalia agant cum ritu atque ornamentis nn. 27, 28, 29 recensitis. Insuper, licet aliquis ex ipsis inter Praelatos nondum fuerit adscriptus, Palmatoria semper, etiam in privatis Missis, uti poterit.

34. — Recensita hactenus privilegia illa sunt, quibus dumtaxat Protonotarii Apostolici Supranumerarii fruuntur. Verum, cum eadem collective coetui Canonicorum conferantur, Canonici ipsi, tamquam singuli, iis uti nequibunt, nisi Praelati Urbani fuerint nominati, et antea suae ad Canonicatum vel Dignitatem promotionis et auspicatae iam possessionis, atque inter Praelatos aggregationis, ut num. 14 dicitur, testimonium Collegio Protonotariorum Participantium exhibuerint; coram ipsis Collegii Decano, vel per se vel per legitimum procuratorem, Fidei professionem et fidelitatis iusurandum de more praestiterint, ac de his postea, exhibito documento, proprium Ordinarium certiorem fecerint. Quibus expletis, eorum nomen in sylloge Protonotariorum Apostolicorum recensebitur.

35. — Canonici ecclesiarum extra Urbem, qui ante Nostri huius documenti Motu Proprio editi publicationem, privilegia Protonotariorum, una cum Canonicatu, sunt assequuti, ab expeditione Brevis, de quo supra, num. 14, dispensantur; insurandum tamen fidelitatis coram Ordinario suo praestabunt intra duos menses.

36. — Collegialiter, tamquam Canonici, pontificalibus functionibus, iuxta Caeremoniale Episcoporum, sacris vestibus induiti adsistentes non alia Mitra utantur, quam simplici, nec unquam hoc et ceteris fruantur Protonotariorum insignibus et privilegiis extra propriam ecclesiam, nisi in diplomate concessionis aliter habeatur. Canonicus tamen, qui forte ad ordinem saltem Subdiaconatus non sit promotus, neque in choro cum aliis Mitra unquam utatur. In functionibus autem praedictis inservientem de Mitra non habebunt, prout in Pontificalibus uni Celebranti competit. Qui in Missa solemni Diaconi, Subdiaconi aut Presbyteri assistentis munus agunt, dum Dignitas, vel Canonicus, aut alter Privilegiarius pontificaliter celebrant, Mitra non

utentur; quam tamen adhibere poterunt Episcopo solemniter celebrante, ut dictum est de collegialiter adstantibus: quo in casu, cum ministrant, aut cum Episcopo operantur, maneant detecto capite.

37. — Protonotarius Supranumerarius defunctus efferri aut tumulari cum Mitra non poterit, neque haec eius feretro imponi.

38. — Ne autem Protonotariorum numerus plus aequo augeatur, prohibemus, ne in posterum in ecclesiis, de quibus supra, Canonici Honorarii, sive intra, sive extra dioecesim degant, binas partes excedant eorum, qui Capitulum iure constituunt.

39. — Qui secus facere, aliisve, praeter memorata, privilegiis et iuribus uti praesumpserint, si ab Ordinario semel et bis admoniti non paruerint, eo ipso, Protonotariatus titulo, honore, iuribus et privilegiis, tamquam singuli, privatos se neverint.

40. — Sciant praeterea, se, licet forte plures una simul, non tamquam unius ecclesiae Canonici, sed tamquam Protonotarii convenient, non idcirco Collegium praelatitium constituere; verum, quando una cum Protonotariis de numero Participantium concurrunt, v. gr. in Pontifica Cappella, tunc quasi unum corpus cum ipsis effecti censentur, sine ullo tamen amplissimi Collegii praeiudicio, ac servatis eiusdem Cappellae et Familiae Pontificiae consuetudinibus.

41. — Si quis (exceptis Canonicis trium Patriarchalium Urbis) quavis ex causa Dignitatem aut Canonicatum dimittat, cui titulus, honor et praerogativa Protonotarii Apostolici Supranumerarii adnexa sint, ab eiusmodi titulo, honore et praerogativis statim decidet. Qui vero Pontificium Breve inter Praelatos aggregationis obtinuerit, horum tantum privilegiis deinceps perfruetur.

### III. — PROTONOTARIUS APOSTOLICI AD INSTAR.

42. — Inter Protonotarios Apostolicos *ad instar* Participantium illi viri ecclesiastici adnumerantur, quibus Apostolica Sedes hunc honorem conferre voluerit, ac praeterea Dignitates et Canonicci alicuius Capituli praestantioris, quibus collegialiter titulus et privi-

legia Protonotariorum, cum addito *ad instar*, ubique utenda, fuerint ab eadem Apostolica Sede collata. Canonici enim, qui aut in propria tantum ecclesia vel dioecesi titulo Protonotarii aucti sunt, aut non nullis tantum Protonotariorum privilegiis fuerunt honestati, neque Protonotariis aliisve Praelatis Urbanis accensebuntur, neque secus habebuntur ac illi de quibus hoc in Nostro documento, nn. 80 et 81, erit sermo.

43. — Qui Protonotarii Apostolici *ad instar*, tamquam singuli, iuribus honorantur, eo ipso sunt Praelati Domus Pontificiae; qui vero ideo sunt Protonotarii quia alicuius ecclesiae Canonici, Praelatis Domesticis non adnumerantur, nisi per Breve Pontificium, ut num. 14 dictum est. Omnes Protonotarii *ad instar* subiecti remanent, *ad iuris tramitem*, Ordinario loci.

44. — Beneficia illorum, qui Protonotarii *ad instar* titulo et honore gaudent tamquam Canonici alicuius Capituli, si vacent extra Romanam Curiam, Apostolicae Sedi minime reservantur. Beneficia vero eorum, qui tali titulo et honore fruuntur tamquam privata persona, non poterunt nisi ab Apostolica Sede conferri.

45. — Quod pertinet ad habitum praelatitium, *pianum* et communem, stemmata et choralia insignia, habitum et locum in Pontifícia Cappella, omnia observabunt, uti supra dictum est de Protonotariis Supranumerariis, nn. 16, 17, 18, 19, 20.

46. — Iisdem iuribus gaudebunt, praecedentiae, privati oratorii, conficiendi acta Beatificationis et Canonizationis, passivae electionis in Conservatores, ceterisque; item recipienda Fidei professionis, reverentiae ad Crucem, thurificationis, quibus omnibus fruuntur Protonotarii Supranumerarii, ut supra nn. 21, 22, 23, 24, ac iisdem sub conditionibus.

47. — De venia Ordinarii et Praesulis consensu ecclesiae exemptae, extra Urbem, Missas, non tamen de requie, pontificali ritu et ornatu celebrare poterunt, prout supra notatur, ubi de Protonotariis Supranumerariis, nn. 25, 26, 27, 28, 29; verum his legibus: Nec Faldistorio, nec Gremiali unquam utantur, sed una

cum ministris in scamno, cooperto panno coloris diei, sedeant; caligis et sandaliis utantur sericis tantum, cum orae textu item serico flavi coloris ornato, et similiter sericis chirothecis sine alio ornamento; Mitra simplici ex serico damasceno, nullo ornamento, ne in oris quidem distincta, cum rubris laciniis ad vittas. Extra Cathedrales ecclesias tantum, assistentem Presbyterum habere poterunt pluviali indutum; dummodo non assistat Episcopus Ordinarius, aut aliis Praesnl ipso Episcopo maior. Crucem pectoralem auream sine gemmis gerent, appensam funiculo serico violacei ex integro coloris, auro non intertexto. Omnia, quae in Missa cantanda vel legenda sunt, nunquam ad scamnum, sed ad altare cantabunt et legent. Manus intra Missam lavent tantum ad Ps. *Lavabo*.

48. — Poterunt insuper, pariter extra Urbem, de venia Ordinarii et cum Praesulis ecclesiae exemptae consensu, Mitra, Cruce pectorali et Annulo ornati, ad scamnum, more Presbyterorum, celebrare Vespertas illius festi, cuius Missam ipsi pontificaliter acturi sint, vel peregerint (absque benedictione in fine). Iisdem ornamentis eodemque ritu uti licebit, de speciali tamen commissione Ordinarii, in Vesperis festi, cuius Missa in pontificalibus ab alio quolibet Praelato celebretur, itemque in benedictione cum Sanctissimo Sacramento solemniter (non tamen trina) impertienda, in Processionibus, et in una ex quinque absolutionibus in solemnioribus exsequiis, de quibus in Pontificali Romano.

49. — Romae Missam lectam aliqua cum solemnitate celebrantes, si praelatitio habitu sint induti, ea retineant, quae de Protonotariis Supranumerariis, n. 31, constituta sunt; extra Urbem, de speciali tamen commissione Ordinarii, eodem modo se gerent; aliis in Missis et functionibus, tamquam Praelati Domestici, ut n. 78, Palmatoriam tantum, si velint, adhibeant.

50. — Qui Canonicorum coetui adscriptus, cui hactenus recensita Protonotariorum *ad instar* privilegia concessa sint, tamquam privata persona iisdem uti velit, prius Breve Pontificium, ut dicitur nn. 14 et 43, de sua inter Praelatos Domesticos aggregatione, servatis

servandis, obtineat, simulque suae ad Canonicatum vel Dignitatem promotionis, initaeque possessionis ac inter Praelatos aggregationis testimonium Collegio Protonotariorum Participantium exhibeat. Tum coram ipsius Collegii Decano, vel per se vel per legitimum procuratorem, Fidei professionem ac fidelitatis iusurandum, de more, praestet; de his denique, exhibito documento, proprium Ordinarium certiorem faciat. Qui vero tamquam privata persona huiusmodi titulum rite fuerit consecutus, non ante privilegiis eidem titulo adnexit uti poterit, quam legitimum suae nominationis testimonium memorato Collegio exhibuerit, Fidei professionem et fidelitatis iusurandum, ut supra, ediderit, de hisque omnibus authenticum documentum suo Ordinario attulerit. Haec ubi praestiterint, eorum nomen in sylloge Protonotariorum recensebitur.

51. — Qui ante has Litteras, Motu Proprio editas, iuribus gaudebant Protonotarii *ad instar*, tamquam alicuius ecclesiae Canonici, a postulatione Brevis, de quo in superiori numero, dispensantur, quemadmodum et a iurejurando, ut ibidem dicitur, praestando, quod tamen proprio Ordinario intra duos menses dabunt.

52. — Habitum et insignia in choro Dignitates et Canonici Protonotarii gerent, prout Capitulo ab Apostolica Sede concessa sunt; poterunt nihilominus veste tantum uti violacea praelatitia cum zona sub choralibus insignibus, nisi tamen alia vestis, tamquam insigne chorale sit adhibenda. Pro usu Rocchetti et Mantelletti in choro attendatur, utrum haec sint speciali indulto permissa; alias enim Protonotarius, habitu praelatitio assistens, neque locum inter Canonicos tenebit, neque distributiones acquiret, quae sodalibus accrescent.

53. — Collegialiter, tamquam Canonici, pontificalibus functionibus, iuxta Caeremoniale Episcoporum, sacris vestibus induti, assistentes, non alia Mitra utentur quam simplici, nec unquam hoc aliisve supra memoratis insignibus et privilegiis extra propriam ecclesiam uti poterunt, nisi in concessionis diplomate aliter habeatur. Canonicus tamen, qui forte ad ordinem saltem Subdiaconatus non sit promotus, ne in choro quidem cum aliis Mitra unquam utatur.

In functionibus autem praedictis inservientem de Mitra non habebunt, prout in Pontificalibus uni Celebranti competit. Qui in Missa solemni Diaconi, Subdiaconi aut Presbyteri assistentis munus agunt, dum Dignitas, vel Canonicus, aut alter Privilegiarius pontificaliter celebrant, Mitra non utentur; quam tamen adhibere poterunt, Episcopo solemniter celebrante, ut dictum est de collegialiter adsistentibus; quo in casu, cum ministrant, aut cum Episcopo operantur, maneant detecto capite.

54. — Protonotarius *ad instar* defunctus efferri aut tumulari cum Mitra non poterit, nec eius feretro ipsa imponi.

55. — Ne autem Protonotariorum numerus plus aequo augeatur, prohibemus, ne in posterum in ecclesiis, de quibus supra, Canonici Honorarii, sive intra, sive extra dioecesim degant, binas partes excedant eorum, qui Capitulum iure constituunt.

56. — Qui secus facere, aliisve, praeter memorata, privilegiis et iuribus uti praesumpserint, si ab Ordinario semel et bis admoniti non paruerint, eo ipso, Protonotariatus titulo, honore, iuribus et privilegiis, tamquam singuli, privatos se noverint.

57. — Sciant praeterea, se, licet forte plures una simul, non tamquam unius ecclesiae Canonici, sed tamquam Protonotarii, conveniant, non idcirco Collegium Praelatitium constituere; verum, quando una cum Protonotariis de numero Participantium concurrunt, v. gr. in Pontificiis Cappellis, tunc quasi unum corpus cum ipsis censentur, sine ullo tamen amplissimi Collegii praeiudicio, ac servatis eiusdem Cappellae et Familiae Pontificiae consuetudinibus.

58. — Si quis, quavis ex causa, Dignitatem aut Canonicatum dimittat, cui titulus, honor et praerogativae Protonotariorum *ad instar* adnexa sint, statim ab iisdem titulo, honore et praerogativis decidet. Qui vero Pontificium Breve inter Praelatos aggregationis obtinuerit, horum tantum privilegiis deinceps perfretur.

#### IV. — PROTONOTARIIS APOSTOLICIS TITVLARES SEV HONORARIIS.

59. — Cum Apostolica Sedes non sibi uni ius reservaverit Protonotarios Titulares seu honorarios nominandi, sed Nuntiis Apostolicis, Collegio Protonotariorum Participantium et forte aliis iamdiu illud delegaverit; antequam de eorum privilegiis ac praerogativis aliquid decernamus, leges seu conditiones renovare placet, quibus rite honesteque ad eiusmodi dignitatem quisque candidatus valeat evehi, iuxta Pii PP. VII Praedecessoris Nostri Constitutionem « *Cum innumeri* », Idibus Decembr. MDCCXVIII datam.

60. — Quoties igitur de honorario Protonotariatu assequendo postulatio praebeatur, proferantur, ab Ordinario recognita, testimonia, quibus constet indubie: 1.<sup>o</sup> de honesta familiae conditione; 2.<sup>o</sup> de aetate saltem annorum quinque et viginti; 3.<sup>o</sup> de statu clericali ac caelibe; 4.<sup>o</sup> de Laurea doctoris in utroque, aut canonico tantum Iure, vel in S. Theologia, vel in S. Scriptura; 5.<sup>o</sup> de morum honestate et gravitate, ac de bona apud omnes aestimatione; 6.<sup>o</sup> de non communibus in Ecclesiae bonum provehendum laudibus comparatis; 7.<sup>o</sup> de idoneitate ad Protonotariatum cum decore sustinendum, habita etiam anni census ratione, iuxta regionis cuiusque aestimationem.

61. — Quod si huiusmodi Protonotariatus honor alicui Canonorum coetui collective ab Apostolica Sede conferatur (quod ius, collective Protonotarios nominandi, nemini censeri posse delegatum declaramus), eo ipso, quo quis Dignitatem aut Canonicatum est legitime consequutus, Protonotarius nuncupabitur.

62. — Pariter, qui Vicarii Generalis aut etiam Capitularis munere fungitur, hoc munere dumtaxat perdurante, erit Protonotarius Titularis; hinc, si Dignitate aut Canonicatu in Cathedrali non gaudeat, quando choro interesse velit, habitu Protonotarii praelatio, qui infra describitur, iure utetur.

63. — Protonotarii Apostolici Titulares sunt Praelati extra Urbem, qui tamen subiecti omnino manent locorum Ordinariis; Praelatorum

Domus Pontificiae honoribus non gaudent, neque inter Summi Pontificis Familiares adnumerantur.

64. — Extra Urbem, dummodo Summus Pontifex eo loci non adsit, in sacris functionibus rite utuntur habitu praelatitio, nigri ex integro coloris, idest veste talari, etiam, si libeat, cum cauda (numquam tamen explicanda), zona serica cum duobus flocculis a laeva pendentibus, Rocchetto, Mantelletto et bireto, absque ulla horum omnino parte subsutum aut ornamentum alterius coloris ferente.

65. — Extra Urbem, praesente Summo Pontifice, descripto habitu indui possunt, si hic tamquam chorale insigne concessus sit, vel si quis uti Vicarius adfuerit.

66. — Habitu praelatitio induti, omnibus clericis, Presbyteris, etiam Canonicis, singulatim sumptis, praeferantur, non vero Canonicis, etiam Collegiatarum, collegialiter convenientibus, neque Vicariis Generalibus et Capitularibus, aut Superioribus Generalibus Ordinum Regularium, et Abbatibus, ac Praelatis Romanae Curiae; non genuflectunt ad Crucem vel ad Episcopum, sed tantum se inclinant, ac dupli ductu thurificantur.

67. — Super habitu quotidiano, occasione solemnis conventus, audienciae et similium, etiam Romae et coram Summo Pontifice, zonam tantum sericam nigrum, cum laciniis item nigris, gestare poterunt, cum pileo chordula ac floccis nigris ornato.

68. — Propriis insignibus, seu stemmatibus, pileum imponere valeant, sed nigrum tantummodo, cum lemniscis et sex hinc sex inde flocculis pendentibus, item ex integro nigris.

69. — Si quis Protonotarius Titularis, Canonicatus aut Dignitatis ratione, choro intersit, circa habitum se gerat iuxta normas Protonotariis *ad instar* constitutas, num. 52, vestis colore excepto.

70. — Sacris operantes, a simplicibus Sacerdotibus minime differant; attamen extra Urbem in Missis et Vesperis solemnibus, pariterque in Missis lectis aliisque functionibus solemnius aliquando celebrandis, Palmatoria tantum ipsis utenda conceditur, excluso Canone aliave pontificali supellectili.

71. — Quod pertinet ad acta in causis Beatificationis et Canonizationis, et ad passivam electionem in Conservatores ac cetera, iisdem iuribus gaudent, quibus fruuntur Protonotarii Supranumerarii, uti nn. 23 et 24 supra dictum est.

72. — Beneficia eorum qui, tamquam privatae personae, Protonotriatum Titularem assequuti sunt, non vero qui ratione Vicariatus, Canonicatus sive Dignitatis eodem gaudent, ab Apostolica tantum Sede conferantur.

73. — Noverint autem, se, licet forte plures una simul, non tamquam unius ecclesiae Canonici, sed tamquam Protonotarii, convenient, non ideo Collegium constituere.

74. — Tandem qui Protonotriatu Apostolico honorario donati sunt tamquam privatae personae, titulo, honoribus et privilegiis Protonotariatus uti nequeunt, nisi antea diploma suae nominationis Collegio Protonotariorum Participantium exhibuerint, Fideique professionem, ac fidelitatis iusiurandum coram Ordinario, aut alio viro in ecclesiastica dignitate constituto emiserint. Qui vero ob Canonicatum, Dignitatem, aut Vicariatum eo potiti fuerint, nisi idem praestiterint, memoratis honoribus et privilegiis, quae superius recensentur, tantummodo intra propriae dioecesis limites uti poterunt.

75. — Qui secus facere, aliisque, praeter descripta, privilegiis uti praesumpserint, si ab Ordinario semel et bis admoniti non paruerint, eo ipso honore et iuribus Protonotarii privatos se sciant: quod si Protonotriatum tamquam privata persona adepti sint, etiam titulo.

76. — Vicarii Generales vel Capitulares, itemque Dignitates et Canonici nomine atque honoribus Protonotariatus Titularis gaudentes, si, quavis ex causa, a munere, Dignitate aut Canonicatu cessent, eo ipso, titulo, honoribus et iuribus ipsius Protonotariatus exident.

**B). — DE CETERIS PRAELATIS ROMANAE CVRIAЕ.**

77. — Nihil detractum volumus honoribus, privilegiis, praeminentiis, praerogativis, quibus alia Praelatorum Romanae Curiae Collegia, Apostolicae Sedis placito, exornantur.

78. — Insuper concedimus, ut omnes et singuli Praelati Urbani seu Domestici, etsi nulli Collegio adscripti, ii nempe, qui tales renunciati, Breve Apostolicum obtinuerint, Palmatoria uti possint (non vero Canone aut alia pontificali supellectili) in Missa cum cantu, vel etiam lecta, cum aliqua solemnitate celebranda; item in Vesperis aliisque solemnibus functionibus.

79. — Hi autem habitum sive praelatitium, sive, quem vecant, *pianum*, gestare poterunt, iuxta Romanae Curiae consuetudinem, prout supra describitur nn. 16, 17; numquam tamen vestis talaris caudam explicare, neque sacras vestes ex altari assumere valeant, nec alio uti colore, quam violaceo, in bireti flocculo et pilei vitta, opere reticulato distincta, sive chordulis et flocculis, etiam in pileo stemmatibus imponendo, ut n. 18 dictum est, nisi, pro eorum aliquo, constet de maiori particulari privilegio.

**C). — DE DIGNITATIBVS, CANONICIS ET ALIIS,  
QVI NONNVLLIS PRIVILEGIIS  
PRAELATORVM PROPRIIS FRVVNTVR.**

80. — Ex Romanorum Pontificum indulgentia, insignia quaedam praelatitia aut pontificalia aliis Collegiis, praesertim Canonicorum, eorumve Dignitatibus, quocumque nomine nuncupentur, vel a priscis temporibus tribui consueverunt; cum autem eiusmodi privilegia deminutionem quamdam episcopali dignitati videantur afferre, idcirco ea sunt de iure strictissime interpretanda. Huic principio inhaerentes, expresse volumus, ut, in pontificalium usu, nemini ad aliquod ex supra

memoratis Collegiis pertinenti in posterum **ampliora suffragentur privilegia**, quam quae, superius descripta, competunt Protonotariis sive Supranumerariis, sive *ad instar*, et quidem non ultra propriae ecclesiae, aut ad summum dioeceseos, si hoc fuerit concessum, limites; neque ultra dies iam designatos, aut determinatas functiones; et quae arctiora sunt, ne angeantur.

81. — Quoniam vero de re agitur haud parvi momenti, quippe quae ecclesiasticam respicit disciplinam, ne quis audeat, arbitraria interpretatione, maiora quam in concedentis voluntate fuerint, sibi privilegia vindicare; quin potius paratum sese ostendat, quatenus illa excesserint, minoribus coarctari; singulis locorum Ordinariis, quorum sub iurisdictione vel quorum in territorio, si de exemptis agatur, aliquis ex praedictis coetibus inveniatur, demandamus, ut, tamquam Apostolicae Sedis Delegati, Apostolicarum Concessionum documenta ipsis faventia, circa memorata privilegia, intra bimestre tempus ab hisce Nostris Ordinationibus promulgatis, sub poena immediatae amissionis eorum quae occultaverint, ad se transmitti curent, quae intra consequentem mensem ad Nostram SS. Rituum Congregationem mittant. Haec autem, pro suo munere, omnia et singula hisce Nostris dispositionibus aptans, declarabit et decernet, quaenam in posterum illis competant.

Haec omnia rata et firma consistere auctoritate Nostra volumus et iubemus: contrariis non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum, die xxi Februarii MCMV,  
Pontificatus Nostri anno secundo.

## EPISTOLA

DILECTO FILIO

LVDOVICO PÈCHENARD

PROTON. APOSTOLICO, CATHOLICI INSTITVTI PARISIENSIS RECTORI

—

PIVS PP. X

DILECTE FILI

SALVTEM EL APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

**S**olemne illud semper Ecclesiae fuit, doctrinae studia colere tuerique diligenter, idque non modo in sacris disciplinis, quanquam in his, uti par est, maxime; verum etiam in ceteris: propterea quod istae quidem non parum ad illas afferunt adiumenti. Intimo enim quodam vinculo aptae inter se et connexae utraeque sunt; utpote a Deo, *scientiarum Domino*, profectae, a quo, tanquam ab unico fonte, quaecumque vera sunt, necessitate manant. Profecto Decesores Nostri omni tempore ad Apostolici muneris partes arbitrati sunt pertinere, eruditionem omne genus fovere pro viribus: nec ultima laus est Pontificum Romanorum, nobiles illas aevo medio condidisse opibusque et maximis beneficiis ornasse studiorum Universitates, quas, quae nunc florent, suas quasi quasdam parentes agnoscunt. Iam vero similem Nos curam de bonarum artium studiis cum geramus, equidem

grata habuimus, quae de isto, cui praesides, Instituto haud ita pridem significasti coram. Sed tamen, ut melius pateat quemadmodum Nos erga illud affecti simus, has ad te visum est litteras mittere. Ac primum egregia danda laus est Venerabilibus Fratribus e Gallia Episcopis, quorum et auctoritate praecipue Institutum regitur, et providentia tuitioni ipsius studiose consulitur. Tum non mediocriter ii laudandi catholici homines, quotquot id ipsum existimant dignum, cui prolixe de facultatibus suis opitulentur. Hi nimirum persuasum habent, id quod res est, plurimum interesse civitatis aequa ac religionis, sic, in magnis potissimum lyceis, institui adolescentes, ut cum solidae doctrinae praeceptis simul christianos hauriant spiritus; hodie autem, ut cum maxime, oportere vulgo sacerdotes esse non solum a theologia bene instructos, sed etiam a philosophia, a iure, a cognitione naturae, a litteris. Usitatum quippe est ac prope quotidianum apud homines, opinione potius quam re doctos, tela adversus fidem undique in officina scientiae conquirere. Novimus autem, quam libenter vix attinet dicere, Instituto Parisiensi, uti nunquam defuerint, ita minime in praesens desiderari decuriales doctores eiusmodi, qui et scientiae et religioni ornamento sint. Atque hi, suum exequendo munus, nostris temporibus, si unquam alias, difficile et arduum, probe meminisse videntur, quid a se officium postulet; id est, ut sanctissima sapientiae veteris principia in tuto collocent; hoc primum: deinde ut, progradientis eruditionis ratione habita, quidquid veri est recensionum sollertia repertum, minime negligant. Enimvero has migrare et non servare leges multi consueverunt, neque ex eis tantummodo, qui catholicae professioni adversantur, sed

quicumque praeterea traditionem magisteriumque Ecclesiae non tanti a se fieri ostendunt, quanti debent; quique illud videntur sine ulla exceptione probare velle, quod dici solet: *cras, quod hodie falsum, habebitur verum.* Hinc illa pervulgata ratio submovendi vetera, obtrudendi nova, nullam fere ob aliam causam, nisi novitatis; tamquam doctrinae summa in fastidio quodam vetustatis ponenda sit. Verum ab ista vos ratione dehortari supervacaneum est: novimus vestri in Apostolicam Sedem obsequii diligentiam; nec vero dubitari licet, quin velitis etiam in hoc genere Romano Pontifici semper probari. Quare Institutum vestrum quod laetos ad hoc tempus fructus apud vestrates pepererit, gratulamur; idem ut bona utilitatum ac nominis incrementa capiat, valde cupimus: in eam rem omnes, qui quoquo modo ipsum participant aut iuvant, ut, quantum quisque possit, nitantur, etiam atque etiam hortamur. Auspex interea divinae opis tibi, dilecte fili, eisque sit Apostolica Benedictio, quam peculiaris quoque benevolentiae Nostrae testem peramanter vobis in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petram, die xxii Februarii MDCCCV,  
Pontificatus Nostri anno secundo.

PIVS PP. X

## EPISTOLA

DILECTO FILIO  
THOMAE KENNEDY  
PONTIFICIAE DOMVS ANTISTITI  
RECTORI VRBANI COLLEGII  
PRO ALVMNIS FOEDERATARVM AMERICAЕ CIVITATVM

---

PIVS PP. X

DILECTE FILI  
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

**Q**uum, haud ita pridem, te, una cum alumnis tuo regi-  
mini creditis, admissione Nostra donavimus, placuit  
testari coram amplissimis verbis qua existimatione quaque  
benevolentia Collegium vestrum prosequeremur. Et merito  
id quidem. Videramus enim, ex annuo in scholis periculo  
stataque praemiorum distributione, sic alumnos istos in disci-  
plinarum sacrarum studia incubuisse strenue, ut tulisse pri-  
mas laetarentur. Aliunde vero non ignorabamus diligentiae  
huic in sacris excolendis doctrinis parem esse et disciplinae  
servandae constantiam et exercendae pietatis ardorem. Libet  
igitur iterum per litteras gratulari tibi, qui egregie Rectoris  
munere fungeris; gratulari simul alumnis omnibus, qui optime  
industriis tuis obsecundant. Crescat, hoc plane optamus et

ominamur, crescat adolescentium numerus, qui ex Americae foederatis Civitatibus huc transmeent, catholicam sapientiam in ipso fidei centro apud Cathedram Beati Petri Apostolorum Principis hausturi. Evidem ex vestro Collegio, ut multa apud vestrates in Religionis utilitatem provenisse scimus, sic ampliora in posterum proventura confidimus. Hoc ut eveniat, tibi, dilecte fili, tuisque in Collegio moderando adiutoribus nec non alumnis singulis, Apostolicam Benedictionem, caritatis Nostrae pignus et munera divinorum auspicem, amantissime in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die xxvii Februarii MDCCCCV,  
Pontificatus Nostri anno secundo.

PIVS PP. X

## LETTERA

AL SIGNOR CARDINALE  
DOMENICO SVAMPA  
ARCIVESCOVO DI BOLOGNA

---

*Signor Cardinale,*

 La lettera circolare del 28 Luglio 1904, diretta dal Signor Cardinale Nostro Segretario di Stato ai Revni Ordinari d' Italia, stabiliva con tanta precisione le Nostre prescrizioni specialmente riguardo i Comitati Cattolici e l'azione popolare cristiana, che anche i meno eruditi negli elementi del Catechismo avrebbero dovuto intendere, che non si può avere azione cattolica di vero nome senza la immediata dipendenza dai Vescovi.

Ma, come nel campo della parabola evangelica, anche in quello dell'azione cattolica già da qualche tempo venne soprasseminata la zizzania, che cresce e soffoca l'eletto grano; e questo non per opera di aperti nemici, ma di quelli stessi, che si professano e si vantano di essere cattolici.

E tali sono i così detti Democratici cristiani autonomi, che per desiderio di una libertà male intesa mostrano col fatto di scuotere ogni disciplina; aspirano a novità pericolose, che la Chiesa non può approvare; si atteggiano a contegno autorevole per imporsi, giudicare e criticare ogni cosa,

e arrivano al punto di chiamarsi pronti a piegare dinanzi alla infallibilità, ma non all'obbedienza.

Che se si volessero argomenti a provare che cotali pel logico svolgimento dei loro principî si sono fatti esplicitamente ribelli all'autorità della Chiesa, lo dimostra quanto asseriscono nei loro convegni dichiarandosi indipendenti, quanto pubblicano sui loro giornali e periodici propugnando la loro opera e giustificando la loro condotta; quando finalmente alle solenni proibizioni di venerandi Prelati rispondono o coll'asserire che tali proibizioni non riguardano la loro società e le loro persone, o col proclamare, che il Papa ed i Vescovi hanno sì il diritto di giudicare delle cose spettanti alla fede ed alla morale, ma non quello di dirigere l'azione sociale; e quindi essi si tengono liberi di progredire nel loro lavoro.

Ci duole poi nell'animo di sapere ascritti a questa Democrazia autonoma tanti poveri giovani, che davano le migliori speranze, ai quali vorremmo dire col più compassionevole affetto: Guardatevi, perchè siete tratti in inganno da chi vi circuisce colle lusinghe, vi assorda coi discorsi e non si fa scrupolo di condurvi per una via, che vi porta a rovina.

E non possiamo fare a meno di manifestare il Nostro immenso rammarico leggendo giornali e periodici, che pur dicendosi cattolici, non solo censurano i forti richiami dei Vescovi, che giustamente condannano i Democratici autonomi, ma ardiscono di vilipendere colle più ingiuriose insinuazioni coloro, che lo Spirito Santo pose a reggere la sua Chiesa. Colpa questa nefanda, che dimostra da quale spirito gli scrittori sieno animati!

Ora, siccome si è già annunziato che in questo mese sarà tenuto in cota città un Congresso, in cui i Democratici autonomi prenderanno le più importanti deliberazioni per proclamare altamente la loro indipendenza, crediamo necessario di dirigere a Lei, Signor Cardinale, questa lettera scritta tutta di Nostro pugno:

1.<sup>o</sup> Per protestare altamente contro le subdole affermazioni, che il Papa non ha parlato, che il Papa approva, e che, se pur qualche volta desso fa dei richiami, questi gli sono imposti da altri.

2.<sup>o</sup> Per dichiarare che tutti quelli, che non a parole, ma coi fatti vogliono dimostrarsi veri cattolici, non dovranno prender parte a tale Congresso :

3.<sup>o</sup> Che molto meno potranno parteciparvi i Sacerdoti, anche per non provocare quelle pene canoniche, che con dolore, ma siamo risoluti di infliggere ai disobbedienti.

4.<sup>o</sup> Finalmente per ricordare la grave responsabilità che si assumono tutti coloro, che in qualunque modo propugnano questa associazione, che porta nella vera azione cattolica il disordine, e reca tanto danno ai poveri giovani, i quali, esposti a mille altri pericoli, hanno tanto bisogno di essere fermi senza malintesi nei principi cattolici.

Speriamo, che questa Nostra lamentanza, che Ella potrà far pubblica, chiami a seria riflessione e a resipiscenza i colpevoli, e frattanto impartiamo a Lei, Signor Cardinale, con effusione di cuore l'Apostolica Benedizione.

Dal Vaticano, il 1<sup>o</sup> Marzo 1905.

## EPISTOLA

DILECTO FILIO NOSTRO  
ANTONIO IOSEPH TIT. S. MARIAE ANGEL. IN THERMIS  
S. R. E. PRESBYTERO CARDINALI GRVSCHA  
ARCHIEPISCOPO VINDOBONENSIVM  
CETERISQVE ARCHIEPISCOPI ET EPISCOPIS AVSTRIAEC  
VINDOBONAM

PIVS PP. X

DILECTE FILI NOSTER ET VENERABILES FRATRES  
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

**A**ustriam, catholico caram nomini caussamque sane pernabilem, unde assidue caperet christiana respublica decus, dolemus, non ita, ut antea, communem praebere in praesens laetitiam professioni catholicae. Tuendae amplificandaeque fidei a Christo Iesu praepositis, nihil est Nobis antiquius quam ut catholicae doctrinae disciplinaeque germen non modo in filiis custodiatur nostris, sed iis etiam in mediis florescat, quos non eadem Nobiscum communio devincit. At lacrymabili nimium fortuna, quos Nostra institutio aluit, eos ipsos quandoque aspicimus abire prodige a Nobis, ac sanctissima praecepta et documenta vitae, hausta ex illibato Christi fonte, dissentiendo publice propulsare, et nova placita

infenso animo amplecti. Nostra quo spectet maxime oratio, perspicuum profecto vobis est, qui, Nobiscum una, satis nunquam censemus posse impie factum defliri, cuius aspectum, non multos ante dies, horruit Austriae religio: quod quidem factum ideo certe molestissime tulimus, quod addicti studiis adolescentes complures, in quibus spes tanta erat suavissime posita, a catholica publice sententia recesserint. Solutos scilicet se ab imperio et potestate religiosa volunt, atque e sacris legitimis propterea sese expediunt, quia vim multam fortitudinemque animi in explendis divinae legis operibus catholica religio quaerit, dissidentium coetus non quaerit. Hac fieri de ratione comperimus non paucis in Austria fidelibus funestissimam illam perniciem animi inferri, catholicum ut deponant nomen atque haereticae sese pravitati dedant. Calamitatem nostis, Dilecte Fili Noster et Venerabiles Fratres, omnium hanc aestimari iure tristissimam, animas interire misere, quae tanti valent, quanti perfusus a Christo sanguis. Vos quidem Praesules, quos in excelso ecclesiarum munere ad curam populi divina mens posuit, scimus non immemores officii esse, sollicitaque sollertia discrimini obstricte creditarum ovium. Verum quo instant praesentiora pericula, eo debent Episcopi maiora adhibere ad praecavendum studia, tantoque debent alacrius in pastoralibus curis eniti. Hanc vero ad rem industriam vestram contendere exploratum est iamdiu, habemusque non sine voluptate compertum, vobis esse vertendum laudi, si maiora christianus grex detimenta non cepit. Hortamur tamen in Christo vos, Dilecte Fili Noster et Venerabiles Fratres, animosiores ut bello repugnetis in dies, nullumque patiamini abesse a vobis,

sive privatim sive publice, studium, unde sarta tecta filiorum fides permaneat, habeatque in vobis communio Nostra ab infestis armis praesidium. Perillustris ista natio, cuius nobilissimae sunt in catholica historia laudes, catholica, Deo opitulante, persistet, vestra si sedulitas navabit divinae Providentiae operam: clara etiam et opibus et concordia et quiete manebit, si de religione patrum, in qua salus potissimum Imperii et fortitudo consistunt, invidia aut dissensio aut omnis religiosarum simultatum causa prohibeantur. Ceterum vestrae ultro navitati, divinaeque desiderio gloriae, quo praecellitis, fidimus, caelestiumque gratiarum auspicium ac Nostrae benevolentiae pignus, Apostolicam Benedictionem vobis populisque vestris peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die vi Martii mccccv,  
Pontificatus Nostri anno secundo.

PIVS PP. X

## LITTERAE APOSTOLICAE

QVIBVS COLLEGIVM VRBIS PIVM LATINV-M-AMERICANVM  
PONTIFICII TITVLO AVGETVR  
EIVSQVE REGVNDI LEGES SANCIVNTVR

PIVS PP. X

AD PERPETVAM REI MEMORIAM

**S**edis Apostolicae providam studiosamque de America Latina curam, cum alia argumenta illustrant, tum in primis testatur multiplex instituta ratio, ut in ea per ampla dominici agri parte cultores boni, satis magnâ copiâ, suppetant. Huc valent apertae ibidem Domus complures alumnis sacri ordinis pietate doctrinaque idonea conformandis: quarum quidem, novis constituendis dioecesibus, augescit numerus; atque in earum praecipuis facultas praebita melioris notae adolescentibus academicos gradus assequendi. Iam vero in hoc Pontificalis providentiae genere facile primas tenet Urbanum Collegium, a Decessoribus Nostris fel. rec. Pio IX conditum, Leone XIII amplificatum in sacrae iuventutis ex America Latina utilitatem. Etenim adolescentes clericos, bona indole praeditos et animi et ingenii, missos in hanc Almam Urbem, atque ideo ad ipsum ecclesiasticae eruditionis vitae-

que centrum, ibique, advigilante Iesu Christi Vicario, omnibus praesidiis, quae disciplinam optimam deceant, ad sacerdotale munus instructos, nemo non videt, eosdem popularibus suis et ecclesiae patriae admodum salutares debere exsistere.

Equidem, si fructus quaerimus, quos Collegium Pium Latinum-Americanum hoc intervallo tulerit, reperiemus rei extum exspectationi egregie respondisse: responsurum autem de cetero vel melius, si quidem paulo diligentius ea, quae in alumnorum delectu sunt servanda, serventur, atque si earum regionum nullus sit posthac Episcopus, quin aliquem suum alumnum in isto Collegio, ipse non parcens impendiis, collocet. Utrumque Leo, qui, ad religiosam Americae Latinae rem rite componendam, Plenarium eorum Episcoporum Concilium Romam coegerat, quum, Concilio peracto, dimitteret Patres, vehementer eos hortatus est, tanquam viderentur dioecesibus suis consulturi satis, si eidem Collegio pro facultate consulerent. Hi vero, quum exploratam iam ipsi per se haberent huiusce utilitatem Instituti, praeterea tanta Pontificis hortatione permoti, non modo se velle ostenderunt eius votis satisfacere; sed etiam, ut Concilii Plenarii, quod in ipsa Collegii aede esset actum, monumentum exstaret aliquod, magnopere sibi gratum fore significarunt, si Collegium *Pontificii* titulo honestaretur. Eorumdem sunt illa postulata: ut Sodales Societatis Iesu gubernationem Collegii, quam obtinent, ratam in perpetuum obtineant; ut praeci-  
puae sanciantur leges, quibus morum et studiorum disciplina Collegii dirigatur; ut, quoniam Collegii aedes, mutui nomine, Apostolicae Sedi obligatae sunt longe ultra quam pro opibus Collegii liberari hodie queant, benigne Summus

Pontifex, sibi et successoribus salvo iure, velit in commodiorem Collegio diem exactionem crediti differre.

Nos autem, quum erga Americae Latinae ecclesias Urbanumque ipsarum Collegium, haud secus ac duo illustres Decesores Nostri, plenum paternae caritatis geramus animum, huius testandae benevolentiae occasionem, quam Venerabiles Fratres ista rogantes offerunt, perlibenter amplectimur. Itaque firma et stabilia iubentes esse, quae de Collegio sive constituendo, sive provehendo Decessorum est auctoritate sancitum; atque de eo, quod dictum est, aere alieno edituri, quo modo Sedis Apostolicae simul et Collegii rationibus consultum esse velimus, his litteris Nos, eadem Apostolica auctoritate, idem Collegium seu Seminarium Pium Latinum-Americanum in Urbe, secundum sacrorum statuta canonum sollemniter erigimus et constituimus, ac *Pontificiū* titulo decoramus, ipsique omnia privilegia et iura, quae Seminaris seu Collegiis Pontificiis attribui solent, attribuimus ad eas leges, quae infra scriptae sunt.

I. Munus regendi et moderandi Collegii inclytæ Societati Iesu, optime usque adhuc de Collegio meritae, perpetuo committimus. Quocirca Societatis Praepositus e sacerdotibus, qui sibi parent, hos saltem constituet: Rectorem, Ministrum, Subministrum, Oeconomum, Magistrum pietatis, Confessorum quantum opus fuerit, et Praefectorum contuberniis quantum fieri poterit. Idem duos destinabit, alterum hispane, alterum lusitane doctum, qui alumnos, in patrio sermone litterisque excolendo, ad sacras potissime conciones exercant. Praeterea volumus ut alumni ne alias Urbis scholas quam Lycei magni Gregoriani celebrent.

II. Alumni legitimo matrimonio nati, et valetudine bona sint, et non deformi corpore. Ad haec voluntatem praeferrant exploratam sacerdotalis ineundae vitae, ac non vulgare ingenium discendi studio coniunctum: nec minus eorum debet disciplinae amor et integritas morum constare.

III. Alumni non ante cooptandi sunt, quam exhibito testimonio probaverint, se humanitatis et litterarum spatiū recte confecisse, ideoque idoneos esse, qui maiorem doctrinarum cursum ineant.

IV. Liceat, raro tamen et singularibus de causis, adolescentes, natu minores needum gravibus studiis maturos, in Collegium admittere, his quidem conditionibus: primum, ut eiusmodi nunquam plus quam decem in Collegio sint; deinde, decimum tertium aetatis annum compleverint; tum, e scholis primordiorum honestum ingenii diligentiaeque testimonium retulerint, iidemque elegantiorum litterarum institutionem cum laude, magnam partem, percepient, itaque Romae possint, quod reliquum sit, anno aut summum biennio absolvere; deinde, aere ipsi suo vel benigne ab aliis collato, non autem pensionibus seu *Capellaniis*, quae alumnorum causā constitutae sint, sustententur, quos quidem sumptus suppeditatum iri Episcopus, suo et successorum nomine, spondeat; postremo, Episcopus ne candidatum Romam ad Collegium dimittat, nisi postquam per authenticas litteras fidem Rectori fecerit omnia, quae hoc loco sunt requisita, suppeteret, ab eoque cooptationis, quae permissu Cardinalis Patroni facta sit, legitimū documentū acceperit.

V. Omnes alumni, ne iis quidem exceptis, qui pensiones seu Capellanias consequuti sint integras, tantum afferre

debent pecuniae, quantum satis erit ad redditum: quae pecunia in thesauro Collegii reponetur, eaque aliam in rem insumi, vel Ordinario probante, non poterit.

VI. Qui sua<sup>e</sup> familiae impensis aut de cuiuspiam beneficio sustentandus erit, nullo pacto inter alumnos recipiatur, nisi, praeter Episcopi sui licentiam, syngrapham afferat, qua ipse Episcopus, proprio et successorum nomine, obligacionem se suscepisse testetur subministrandi Collegio pecuniam pro alumno debitam, si quidem huius propinqui vel alii qui fidem dederunt, eam praestare aut neglexerint aut nequiverint.

VII. Universis et singulis Americae Latinae Episcopis omni ope curandum est, ut in Collegio pensiones id genus, quae vernaculo sermone *Becas* dici solent, alumnis sustentandis instituantur, Capellaniarum titulo; quarum redditibus alumni qui fruantur, sua<sup>e</sup> quisque Capellaniae fundatorem Deo commendare, quotidie quidem tertiam marialis Rosarii partem rite recitando, in singulos autem menses semel aut sancta de altari libando aut sacerdotes sacrum faciendo, debeant. Pecuniae vero summa cuiusque Capellaniae constituendae Consilio Pontificali Stipi Petrianae administranda tradetur: quod Consilium redditus huius pecuniae statis temporibus Collegio pensitabit.

VIII. Alumni, sive in doctrinae studiis indiligentes, sive in cultu pietatis desidiosi, sive qui ea natura eisque moribus extiterint, ut sodalibus offensioni et Collegio perturbationi sint, si quidem opportune correpti, non se tamen emendarint penitus, e Collegio sine dubitatione expellantur. Expellendi potestatem Rector obtineat; is tamen in causis singulis, ut rite se pro tanta rei gravitate gerat, moderatores Collegii ceteros in consilium adhibebit.

IX. Alumnis qui, semel et iterum facto periculo, academicos gradus in Lyceo magno Gregoriano adipisci nequivent, minime licebit, sine Nostra aut successorum Nostrorum venia, in aliquo Americae Latinae gymnasio aut alibi tertium periclitari.

X. Integrum Rectori erit sinere, ut alumni, qui studiorum cursum absolverint, in Collegio dies aliquot, non plus triginta, ante redditum in patriam, morentur; obnoxii tamen etiamtum Collegii legibus et moderatorum auctoritati.

XI. Rector quotannis de disciplinae rationibus, de moribus alumnorum, de rei familiaris conditione accuratam descriptionem dupli exempli conficiet; quorum alterum, Cardinali Patrono, alterum, cui quidem idem Cardinalis subscripscerit, Nobis et successoribus Nostris deferet. Idem ad omnes Americae Latinae Episcopos, praeter descriptionem eiusmodi summatim factam, aliam de alumnis cuiusque peculiarem mittet.

Haec decernimus et statuimus, contrariis non obstantibus quibuscumque. Item quae in utilitatem Collegii oeconomicam vel a Decessoribus Nostris vel a Nobis decreta et statuta sunt, ea confirmamus rataque habemus. Quod vero ad domesticam disciplinam pertinet, Collegii moderatoribus mandamus, ut eius temperandae rationem, collatis consiliis cum Cardinali Patrono et cum Praeposito Societatis Iesu, opportune retractent, eamque retractatam Nobis probandam atque auctoritate iussuque Nostro stabiendi offerant.

Reliquum est, ut omnes, quoscumque haec causa attingit, non modo quae praescripta a Nobis hic sunt, religiose servent, quod minime dubitamus, sed etiam ex eisdem praescriptis.

scriptionibus nitantur quam laetissimos fructus elicere, quod magnopere hortamur. Itaque religiosi viri, quorum vigilantiae et curis tot sunt Americanarum Ecclesiarum spes concreditae, non satis habebunt, alumnos apud se tanquam in umbraculis diligenter excoluisse; verum eosdem iam in solem atque pulverem eductos, et trans Oceanum in sacris muneribus desudantes, pergent consiliis, hortamentis, omni denique amoris officio adiuvare universos. Hi vicissim dociles se bonis patribus dabunt, et hanc maxime eis itemque Apostolicae Sedi studebunt referre gratiam, ut illorum disciplina multum profecisse videantur. Episcopi vero in dies melius ostendent, hoc suum Collegium sibi non minus esse cordi quam Nobis, qui certe, ipsorum praecipue causâ, habemus carissimum: ideoque ad eius stabilitatem et incrementum nitentur, quantum quisque poterit, conferre. — Deprecante Maria labis nescia, cuius in tutela Collegium est, faveat optatis Nostris divina benignitas; atque auxiliorum eius sit auspex Apostolica Benedictio, quam omnibus, quos memoravimus, universaeque Americae Latinae peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die xix Martii an. MDCCCV,  
Pontificatus Nostri secundo.

PIVS PP. X

## ALLOCVTIO

HABITA IN CONSISTORIO

DIE XXVII MARTII MDCCCCV

—

VENERABILES FRATRES

**A**mplissimum coetum vestrum tertium pro officii munere allocuturos, piget Nos admodum ea iterum afferre argumenta, quae non laetitiam faciant, sed moerorem confirment. Sed nostis optime, hunc esse Dei, provide disponentis, nutum, ut tristibus Ecclesia ne careat unquam, ut nempe eo digna sit Sponso, qui, quo illam sibi exhiberet gloriosam, non habentem maculam, poni voluit in signum cui contradiceretur.

Querebamur ad vos, Venerabiles Fratres, consilia agitari apud Gallos, quae maxime religioni essent infesta: querebamur propositum non eam modo rescindendi pactionem, quam, superiore ineunte saeculo, ad commune religionis et civitatis bonum, Romanus Pontifex ac reipublicae Gallorum moderatores fecerant, sed, lege lata, civilis imperii ab Ecclesia discidium perpetuo sanciendi. Iamvero, etsi Nos omni studio omnique qua licebat ratione, etiam postremis hisce diebus, tantam cladem avertere conati sumus, quin et conari adhuc voluntas est, quum nihil a Nobis longius absit quam velle Nos a pactis conventis eximere; attamen eo res urgetur ardore, ut sit plane pertimescendum, ne brevi ad exitus adducatur. — Gallorum gentis, quam Nos ex animo ada-

mamus, vicem dolemus graviter: quidquid enim damni ubivis faciat Ecclesia, id experiendo novimus rei quoque publicae detrimentum esse. Teneant hoc probe, non ii modo qui in Gallia catholicarum sunt partium, quibus Ecclesiae defensionem suscipere sanctum esse debet; verum etiam pacis publicaeque securitatis quotquot sunt amatores, ut communis demum studio tantam patriae perniciem prohibeant.

Haec inter, Venerabiles Fratres, contristat adhuc animum immanitas belli, quo extremae iamdiu Orientis orae caedibus, incendiis, sanguine funestantur. Quot ibi rerum lacrymae! — Vices Illius in hisce terris gerentes, qui auctor est et conciliator pacis, Deum, in spiritu humilitatis, enixe obsecramus ut principibus ac populis quae ad concordiam pertinent consilia benigne impertiat. Tot plane tantaque genus ubique hominum conficiunt mala, ut non sit opus armorum etiam strepitu perturbari et contentione bellorum!

Quantum pacis studio ex omni parte sit tribuendum, sensere nuper feliciter qui Brasiliam, Peruviam, Boliviā supremo imperio moderantur. Exortis enim de praescribendis regendisque finibus controversiis, inter foederatas Brasiliae civitates et utramque gentem, peruvianam videlicet ac boliviensem, periclitari vetus concordia videbatur. At vero, qui publicae rei regundae praesunt, sapienti equidem saluberrimoque consilio, contentionem alieno iudicio terminandam decreverunt. Qua in re cum prudentissime reputarent, tutandae pacis officium Pontificatui maximo innatum fere esse atque insitum; communi sententia, Sedis huius Apostolicae Nuntium virorum coetui praefecerunt, quorum esset causa suffragiis dirimenda. Quae dum vobiscum, Venerabiles Fra-

tres, laeto animo communicamus, dictarum gentium Praesidibus gratias publice referre libet, quod honorem eiusmodi Nobis et Cathedrae Beati Petri habere voluerint.

Quam coniunctionem Nobiscum, quae maximarum utilitatum conciliatrix est, utinam pro merito aestimarent qui Aequatoriana Reipublicae regimine potiuntur. Scilicet Romani Pontifices decessores Nostri, atque in primis Pius IX sanctissimae recordationis, caritatem suam in Aequatorianum populum multis magnisque argumentis demonstrarunt. Quid vero? Eas modo leges ibi latas novimus, quae ad catholicam Ecclesiam et antiquam patrum religionem non vexandam solum, sed pene interimendam sancitas quis dixerit. Nos, ne deesse muneri videamur, illatum religioni vulnus non dolemus modo, sed publice arguimus; sperantes consideratoria consilia ab iis, quorum interest utilitati suaे gentis prospicere, esse capienda. Episcopos interea et catholicos universos Aequatoriana gentis non demittere animum iubemus, sed magno erectoque religionem tueri debitamque illi adserere libertatem, nulla tamen tentata via, quam ordo ac iustitia intercludat. Aderit conantibus Deus, qui mortificat et vivificat, deducit ad inferos et reducit.

Ceterum, Venerabiles Fratres, non sine praemio futuram confidimus, quam catholici universi testati sunt pietatem in augustam Dei Matrem, quum superiore Decembri mense quinquagesimus annus impletus est a solemni promulgatione decreti, quo Eadem primaevā labē immunis edicebatur. Virgo suavissima, quae Ecclesiam plane diligit quam acquisivit Christus sanguine suo, optatae pacis gaudia ne diu desideremus efficiet.

Et benedictio Dei Omnipotentis etc.

# LITTERAE ENCYCLICAE

AD VENERABILES FRATRES  
PATERARCHAS PRIMATES ARCHIEPISCOPOS EPISCOPOS  
ALIOSQVE LOCORVM ORDINARIOS  
CVM APOSTOLICA SEDE PACEM ET COMMVNIONEM HABENTES

---

PIVS PP. X

VENERABILES FRATRES  
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

**A**cerbo nimis ac diffcili tempore ad supremi pastoris munus, in universum Christi gregem gerendum, arca-num Dei consilium tenuitatem Nostram evexit. Inimicus namque homo sic gregem ipsum iam diu obambulat vafer-rimaque insidiatur astutia, ut nunc vel maxime illud factum esse videatur, quod senioribus Ecclesiae Ephesi praenun-tiabat Apostolus: *Ego scio quoniam intrabunt... lupi rapaces in vos, non parcentes gregi*<sup>1</sup>. — Cuius quidem religiosae rei inclinationis, quicumque adhuc divinae gloriae studio feruntur, causas rationesque inquirunt; quas dum alii alias affe-runt, diversas, pro sua quisque sententia, ad Dei regnum in hisce terris tutandum restituendumque sequuntur vias.

<sup>1</sup> Act. xx, 29.

Nobis, Venerabiles Fratres, quamvis cetera non respuamus, iis maxime assentiendum videtur, quorum iudicio et praesens animorum remissio ac veluti imbecillitas, quaeque inde gravissima oriuntur mala, ex divinarum ignoratione rerum praecipue sunt repetenda. Congruit id plane cum eo, quod Deus ipse per Oseam prophetam dixit: ... *Et non est scientia Dei in terra. Maledictum, et mendacium, et homicidium, et furtum, et adulterium inundaverunt, et sanguis sanguinem tetigit. Propter hoc lugebit terra, et infirmabitur omnis, qui habitat in ea*<sup>1</sup>.

Et re quidem vera, aetate hac nostra esse quamplurimos in christiano populo, qui in summa ignoratione eorum versentur, quae ad salutem aeternam nosse oportet, communes, eaeque pro dolor! non iniustae, sunt querimoniae. — Quum vero christianum dicimus populum, non plebem tantum aut sequioris coetus homines significamus, qui saepenumero aliquam ignorantiae excusationem ex eo admittunt, quod immutum dominorum imperio cum pareant, vix sibi suisque temporibus servire queunt: sed illos etiam et maxime, qui etsi ingenio cultuque non carent, profana quidem eruditione affatim pollut, ad religionem tamen quod attinet, temere omnino atque imprudenter vivunt. Difficile dictu est quam crassis hi saepe tenebris obvolvantur; quodque magis dolendum est, in iis tranquille iacent! De summo rerum omnium auctore ac moderatore Deo, de christiana fidei sapientia nulla fere ipsis cogitatio. Hinc vero nec de Verbi Dei incarnatione, nec de perfecta ab ipso humani generis restaurazione quidquam norunt; nihil de Gratia, quae potissimum

<sup>1</sup> Os. iv, 1, ss.

est adiumentum ad aeternorum adeptionem, nihil de Sacrificio augusto aut de Sacramentis, quibus gratiam ipsam assequimur ac retinemus. Peccato autem quid nequitiae insit, quid turpitudinis nullo pacto aestimatur; unde nec eius vitandi nec deponendi sollicitudo ulla: sicque ad supremum usque diem venitur, ut sacerdos, ne spes absit salutis, extrema agentium animam momenta, quae fovendae maxime caritati in Deum impendi oporteret, edocendo summatim religionem tribuat: si tamen, quod fere usuvenit, usque adeo culpabili ignorantia moriens non laboret ut et sacerdotis operam supervacaneam arbitretur et, minime placato Deo, tremendam aeternitatis viam seculo animo ingrediebantur putet. Unde merito scripsit Benedictus XIV, Decessor Noster: *Illud affirmamus, magnam eorum partem, qui aeternis suppliciis damnantur, eam calamitatem perpetuo subire ob ignorantiam mysteriorum fidei, quae scire et credere necessario debent, ut inter electos cooptentur*<sup>1</sup>.

Haec quum ita sint, Venerabiles Fratres, quid quaeso mirabimur, si tanta sit modo inque dies augescat, non inter barbaras inquimus nationes, sed in ipsis gentibus, quae christiano nomine feruntur, corruptela morum et consuetudinum depravatio? Paulus quidem apostolus ad Ephesios scribens haec edicebat: *Fornicatio autem, et omnis immunditia, aut avaritia, nec nominetur in vobis, sicut decet sanctos; aut turpitude, aut stultiloquium*<sup>2</sup>. At vero sanctimoniae huic ac pudori cupiditatum moderatori, divinarum rerum sapientiae fundamentum

<sup>1</sup> Instit. xxvi, 18.

<sup>2</sup> Ephes, v, 3 s.

posuit: *Videte itaque, fratres, quomodo caute ambuletis: non quasi insipientes, sed ut sapientes... Propterea nolite fieri imprudentes, sed intelligentes quae sit voluntas Dei*<sup>1</sup>.

Et plane id merito. Voluntas namque hominis inditum ab ipso auctore Deo honesti rectique amorem, quo in bonum non adumbratum sed sincerum veluti rapiebatur, vix retinet adhuc. Corruptela primaevae labis depravata, ac Dei factoris sui quasi oblita, eo affectum omnem convertit ut diligat vanitatem et quaerat mendacium. Erranti igitur pravisque obcaecatae cupiditatibus voluntati duce opus est qui monstret viam, ut male desertas repeatat iustitiae semitas. Dux autem, non aliunde quaesitus, sed a natura comparatus, mens ipsa est: quae si germana careat luce, divinarum nempe rerum notitia, illud habebitur, quod coecus coeco ducatum praestabit et ambo in foveam cadent. Sanctus rex David, quem Deum de veritatis lumine laudaret, quod menti hominum indidisset: *Signatum est, aiebat, super nos lumen vultus tui, Domine*<sup>2</sup>. Quid porro ex hac largitione luminis sequatur addidit, inquiens: *Dedisti laetitiam in corde meo; laetitiam videlicet, qua dilatum cor nostrum, viam mandatorum divinorum currat.*

Quod revera ita esse facile consideranti patet. Deum namque eiusque infinitas quas perfectiones nominamus, longe exploratius, quam naturae vires scrutentur, christiana nobis sapientia manifestat. Quid porro? Iubet haec simul summum ipsum Deum officio *fidei* nos revereri, quae mentis est; *spei* quae voluntatis; *caritatis* quae cordis: sicque totum hominem

<sup>1</sup> Ephes. v, 15 ss.

<sup>2</sup> Ps. iv 7.

supremo illi Auctori ac moderatori mancipat. Similiter una est Iesu Christi doctrina, quae germanam praestabilemque hominis aperit dignitatem, quippe qui sit filius Patris caelestis qui in caelis est, ad imaginem eius factus cumque eo aeternum beateque victurus. At vero ex hac ipsa dignitate eiusdemque notitia infert Christus debere homines se amare invicem ut fratres, vitam heic degere, ut lucis filios decet, *non in commessationibus, et ebrietatibus; non in cubilibus, et impudicitiis; non in contentione, et aemulatione*<sup>1</sup>; iubet pariter omnem sollicitudinem nostram proiicere in Deum, quoniam ipsi cura est de nobis; iubet tribuere egenis, benefacere iis qui nos oderunt, aeternas animi utilitates fluxis huius temporis bonis anteponere. Ne autem omnia singulatim attingamus, nonne ex Christi institutione homini superbius audenti demissio animi, quae verae gloriae origo est, suadetur ac praecipitur? *Quicumque... humiliaverit se..., hic est maior in regno caelorum*<sup>2</sup>. Ex ea prudentiam spiritus docemur, qua prudentiam carnis caveamus; iustitiam, qua ius tribuamus cuique suum; fortitudinem, qua parati simus omnia perpeti, erectoque animo pro Deo sempiternaque beatitate patiamur; temperantiam denique, qua vel pauperiem pro regno Dei adamemus, quin et in ipsa cruce gloriemur, confusione contempta. Stat igitur, ab christiana sapientia, non modo intellectum nostrum mutuari lumen, quo veritatem assequatur, sed voluntatem etiam ardorem concipere, quo evehamur in Deum cumque Eo virtutis exercitatione iungamur.

<sup>1</sup> Rom. xiii, 13.

<sup>2</sup> Matth. xviii, 4.

Longe equidem absumus ut ex his asseramus, pravitatem animi corruptionemque morum non posse cum religionis scientia coniungi. Utinam non id plus nimio probarent facta! Contendimus tamen, ubi crassae ignorantiae tenebris sit mens circumfusa, nullatenus posse aut rectam voluntatem esse aut mores bonos. Apertis namque oculis si quis incedat, poterit ille sane de recto tutoque itinere declinare: qui tamen caecitate laborat, huic periculum certe quidem imminet. — Adde porro: corruptionem morum, si fidei lumen penitus non sit extinctum, spem facere emendationis; quod si utrumque iungitur et morum pravitas et fidei ob ignorantem defectio, vix erit medicinae locus, patetque ad ruinam via.

Quum igitur ex ignorantia religionis tam multa tamque gravia deriventur damna; alia vero ex parte, quum tanta sit religiosae institutionis necessitas atque utilitas, frustra enim christiani hominis officia impleturus speratur qui illa ignoret: iam ulterius inquirendum venit, cuius demum sit perniciissimam hanc ignorantiam cavere mentibus, adeoque necessaria scientia animos imbuere. — Quae res, Venerabiles Fratres, nullam habet dubitationem: gravissimum namque id munus ad omnes pertinet, quotquot sunt animarum pastores. Hi sane, ex Christi praecepto, creditas sibi oves agnoscere tenentur ac pascere; pascere autem hoc primum est, docere; *Dabo vobis*, sic nempe Deus per Ieremiam promittebat, *pastores iuxta cor meum, et pascent vos scientiam et doctrinam*<sup>1</sup>. Unde et Apostolus Paulus aiebat: *Non... misit me Christus baptizare, sed evangelizare*<sup>2</sup>, indicans videlicet primas eorum

<sup>1</sup> Ier. iii, 15.

<sup>2</sup> I, Cor. i, 17.

partes, qui regendae aliquo modo Ecclesiae sunt positi, esse in instituendis ad sacra fidelibus.

Cuius quidem institutionis laudes persequi supervacaneum ducimus, quantique ea sit apud Deum ostendere. Certe miseratio, quam pauperibus ad levandas angustias tribuimus, magnam a Deo habet laudem. At longe maiorem quis neget habere studium et laborem, quo, non fluxas corporibus utilitates, sed aeternas animis docendo monendoque conciliamus? Nihil profecto optatius, nihil gratius queat Iesu Christo animarum servatori accidere, qui de se per Isaiam professus est: *Evangelizare pauperibus misit me*<sup>1</sup>.

Hic tamen praestat, Venerabiles Fratres, hoc unum consecari atque urgere, nullo sacerdotem quemlibet graviori officio teneri, nullo arctiori nexu obligari. Etenim in sacerdote ad vitae sanctimoniam debere scientiam adiici, quis neget? *Labia... sacerdotis custodient scientiam*<sup>2</sup>. Atque illam reapse severissime Ecclesia requirit in iis qui sint sacerdotio initiandi. Quorsum id vero? Quia scilicet ab eis divinae legis notitiam christiana plebs expectat, illosque ad eam impertiendam destinat Deus: *Et legem requirent ex ore eius: quia angelus Domini exercituum est*<sup>3</sup>. Quamobrem Episcopus, in sacra initiatione, sacerdotii candidatos alloquens: *Sit, inquit, doctrina vestra spiritualis medicina populo Dei; sint providi cooperatores ordinis nostri; ut in lege sua die ac nocte mediantes, quod legerint credant, quod crediderint doceant*<sup>4</sup>.

<sup>1</sup> Luc. iv, 18.

<sup>2</sup> Malach. ii, 7.

<sup>3</sup> Ib.

<sup>4</sup> Pontif. Rom.

Quod si nemo est sacerdos, ad quem haec non pertineant, quid porro de illis censemus, qui, nomine ac potestate curionum aucti, animarum rectoris munere, vi dignitatis et quodam quasi pacto inito, funguntur? Hi quodammodo pastoribus et doctoribus sunt accensendi, quos dedit Christus ut fideles iam non sint parvuli fluctuantes, et circumferantur omni vento doctrinae in nequitia hominum; veritatem autem facientes in caritate, crescant in illo per omnia, qui est caput Christus <sup>1</sup>.

Quapropter sacrosancta Tridentina Synodus, de animarum pastoribus agens, officium eorum hoc primum et maximum esse edicit, christianam plebem docere <sup>2</sup>. Hinc iubet illos, dominicis saltem diebus festisque sollemnioribus, de religione ad populum dicere, sacri vero Adventus tempore et Quadragesimae quotidie, vel saltem ter in hebdomada. Neque id modo: addit namque teneri parochos, eisdem saltem dominicis festisque diebus, per se vel per alios in fidei veritatibus erudire pueros, eosque ad obedientiam in Deum ac parentes instituere. Quum vero sacramenta fuerint administranda, praecepit, ut qui sunt suscepturi, de eorumdem vi, facili vulgarique sermone, doceantur.

Quas sacrosanctae Synodi praescriptiones Benedictus XIV decessor Noster, in sua Constitutione *Etsi minime*, sic brevi complexus est ac distinctius definit: *Duo potissimum onera a Tridentina Synodo curatoribus animarum sunt imposita: alte-*

<sup>1</sup> Ephes. iv, 14, 15.

<sup>2</sup> Sess. v, cap. 2 de ref.; Sess. xxii, cap. 8; Sess. xxiv cap. 4 et 7 de ref.

*rum, ut festis diebus de rebus divinis sermones ad populum habeant; alterum, ut pueros et rudiores quosque divinae legis fideique rudimentis informent.* — Iure autem sapientissimus Pontifex duplex hoc officium distinguit, sermonis videlicet habendi, quem vulgo Evangelii explicationem vocant, et christianaे doctrinae tradendae. Non enim fortasse desint qui, minuendi laboris cupidi, persuadeant sibi homiliam pro catechesi esse posse. Quod quam putetur perperam, consideranti patet. Qui enim sermo de sacro Evangelio habetur, ad eos instituitur, quos fidei elementis imbutos iam esse oportet. Panem dices, qui adultis frangatur. Catechetica e contra institutio lac illud est, quod Petrus Apostolus concupisci sine dolo a fidelibus volebat, quasi a modo genitis infantibus. — Hoc scilicet catechistae munus est, veritatem aliquam tractandam suspicere vel ad fidem vel ad christianos mores pertinentem, eamque omni ex parte illustrare: quoniam vero emendatio vitae finis docendi esse debet, oportet catechistam comparationem instituere ea inter quae Deus agenda praecipit quaeque homines reapse agunt; post haec, exemplis opportune usum, quae vel e Scripturis sacris, vel ex Ecclesiastica historia, vel e sanctorum virorum vita sapienter hauserit, suadere auditores eisque, intento veluti digito, monstrare quo pacto componant mores; finem denique hortando facere, ut qui adstant horreant vitia ac declinent, virtutem sectentur.

Scimus equidem eiusmodi tradendae christianaे doctrinae munus haud paucis invidiosum esse, quod minoris vulgo aestimetur nec forte ad popularem laudem captandam aptum. Nos tamen hoc esse iudicium eorum censemus, qui levitate

magis quam veritate ducuntur. Oratores profecto Sacros, qui, sincero divinae gloriae studio, vel vindicandae tuendaeque fidei, vel Sanctorum laudationibus dent operam, probando esse non recusamus. Verum illorum labor laborem alium praevium desiderat, scilicet catechistarum; qui si deest, fundamenta desunt, atque in vanum laborant qui aedificant domum. Nimium saepe orationes ornatissimae, quae confertissimae concionis plausu excipiuntur, hoc unum assequuntur ut pruriant auribus; animos nullatenus movent. E contra catechistica institutio, humilis quamvis et simplex, verbum illud est, de quo Deus ipse testatur per Isaiam: *Quomodo descendit imber, et nix de caelo, et illuc ultra non revertitur, sed inebriat terram, et infundit eam, et germinare eam facit, et dat semen serenti, et panem comedenti: sic erit verbum meum quod egreditur de ore meo: non revertetur ad me vacuum, sed faciet quaecumque volui, et prosperabitur in his, ad quae misi illud*<sup>1</sup>. — Similiter arbitrandum putamus de sacerdotibus iis, qui, ad religionis veritates illustrandas, libros operosos conscribunt; digni plane qui ideo commendatione multa exornentur. Quotus tamen quisque est, qui eiusmodi volumina verset, fructumque inde hauriat auctorum labori atque optatis respondentem? Traditio autem christiana doctrinae, si rite fiat, utilitatem audientibus nunquam non affert.

Etenim (quod ad inflammandum studium ministrorum Dei iterum advertisse iuverit) ingens modo eorum est numerus atque in dies augetur, qui de religione omnino ignorant, vel eam tantum de Deo christiana deque fidei notitiam

<sup>1</sup> Is. lv, 10, 11.

habent, quae illos permittat, in media luce catholicae veritatis, idololatrarum more vivere. Quam multi eheu! sunt, non pueros dicimus, sed adulta, quin etiam devexa aetate, qui praecipua fidei mysteria nesciant prorsus; qui Christi nomine audito, respondeant: *Quis est,... ut credam in eum?*<sup>1</sup> — Hinc odia in alios struere ac nutrire, pactiones conflare iniquissimas, dishonestas negotiorum procurationes gerere, aliena gravi foenore occupare, aliaque id genus flagitiosa haud sibi vitio ducunt. Hinc Christi legem ignorantibus, quae non modo turpia damnat facinora, sed vel ea cogitare scienter atque optare; etsi forte, qualibet demum de causa, obscoenis voluptatibus fere abstinent, inquinatissimas tamen cogitationes, nulla sibi religione iniecta, suscipiunt; iniquitates super capillos capitis multiplicantes. — Haec porro, iterasse iuvat, non in agris solum vel inter miseram plebeculam occurrunt, verum etiam ac forte frequentius inter homines amplioris ordinis, atque adeo apud illos quos inflat scientia, qui vana freti eruditione religionem ridere posse autumant et *quaecumque quidem ignorant, blasphemant*<sup>2</sup>.

Iam, si frustra seges e terra speratur quae semen non exceperit, qui demum bene moratas progenies expectes, si non tempore fuerint christiana doctrina institutae? — Ex quo colligimus iure, quum fides id aetatis usque eo languerit ut in multis pene sit intermortua, sacrae catechesis tradendae officium vel negligentius persolvi, vel praetermitti omnino. Perperam enim ad habendam excusationem quis dixerit, esse

<sup>1</sup> Ioan. ix, 36.

<sup>2</sup> Iud. 10.

fidem gratuito munere donatam nobis atque in sacro baptisme cuique inditam. Evidem utique quotquot in Christo baptizati sumus fidei habitu augemur; sed divinissimum hoc semen non *ascendit*.... *et facit ramos magnos*<sup>1</sup> permissum sibi ac veluti virtute insita. Est et in homine, ab exortu, intelligendi vis: ea tamen materno indiget verbo, quo quasi excitata in actum, ut aiunt, exeat. Haud aliter christiano homini accidit, qui, renascens ex aqua et Spiritu Sancto, conceptam secum affert fidem; eget tamen Ecclesiae institutione, ut ea ali augerique possit fructumque ferre. Idcirco Apostolus scribebat: *Fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi*<sup>2</sup>; institutionis autem necessitudinem ut ostenderet, addit: *Quomodo... audient sine praedicante?*<sup>3</sup>

Quod si, ex hac usque explicatis, religiosa populi eruditio quanti momenti sit ostenditur, curae Nobis quam quod maxime esse oportet, ut Doctrinae sacrae praeceptio, qua, ut Benedicti XIV decessoris Nostri verbis utamur, ad Dei gloriam et ad animarum salutem nihil utilius est institutum<sup>4</sup>, vigeat semper, aut, sicubi negligitur, restituatur. — Volentes igitur, Venerabiles Fratres, huic gravissimo supremi apostolatus officio satisfacere, atque unum paremque morem in re tanta ubique esse; suprema Nostra auctoritate, quae sequuntur, in dioecesibus universis, observanda et exequenda constituimus districteque mandamus.

<sup>1</sup> Marc. iv, 32.

<sup>2</sup> Rom. x, 17.

<sup>3</sup> Ib. 14.

<sup>4</sup> Constit. *Etsi minime*, 13.

I. Parochi universi, ac generatim quotquot animarum curam gerunt, diebus dominicis ac festis per annum, nullo excepto, per integrum horae spatium, pueros et puellas de iis, quae quisque credere agereque debeat ad salutem adipiscendam, ex catechismi libello erudiant.

II. Iidem, statis anni temporibus, pueros ac puellas ad Sacraenta Poenitentiae et Confirmationis rite suscipienda praeparent, continenti per dies plures institutione.

III. Item, ac peculiari omnino studio, feriis omnibus Quadragesimae atque aliis, si opus erit, diebus post festa Paschalia, aptis praeceptionibus et hortationibus adolescentulos et adolescentulas sic instruant, ut sancte sancta primum de altari libent.

IV. In omnibus et singulis paroeciis consociatio canonicę instituatur, cui vulgo nomen Congregatio Doctrinae christianaę. Èa parochi, praesertim ubi sacerdotum numerus sit exiguuus, adiutores in catechesi tradenda laicos habebunt, qui se huic dedent magisterio tum studio gloriae Dei, tum ad sacras lucrandas indulgentias, quas Romani Pontifices largissime tribuerunt.

V. Maioribus in urbibus, inque iis praecipue ubi universitates studiorum, lycea, gymnasia patent, scholae religionis fundentur ad erudiendam fidei veritatibus vitaeque christianaę institutis iuventam, quae publicas scholas celebrat, ubi religiosae rei mentio nulla iniicitur.

VI. Quoniam vero, hac praesertim tempestate, grandior aetas non secus ac puerilis religiosa eget institutione; parochi universi ceterique animarum curam gerentes, praeter consuetam homiliam de Evangelio, quae festis diebus omnibus

in parochiali Sacro est habenda, eâ horâ quam opportu-  
niorem duxerint ad populi frequentiam, illâ tantum exceptâ  
qua pueri erudiuntur, catechesim ad fideles instituant, facili  
quidem sermone et ad captum accommodato. Qua in re Cate-  
chismo Tridentino utentur, eo utique ordine ut quadriennii  
vel quinquennii spatio totam materiam pertractent quae de  
Symbolo est, de Sacramentis, de Decalogo, de Oratione et  
de praeceptis Ecclesiae.

Haec Nos quidem, Venerabiles Fratres, auctoritate apo-  
stolica constituimus et iubemus. Vestrum modo erit efficere  
ut, in vestra cuiusque dioecesi, nullâ morâ atque integre  
executioni mandentur; vigilare porro et pro auctoritate vestra  
cavere, ne quae praecepimus oblivioni dentur, vel, quod idem  
est, remisse oscitanterque impleantur. Quod ut reapse vitetur,  
illud assidue commendetis et urgeatis oportet, ut parochi  
ne imparati catechesis praeceptiones habeant, sed diligent  
prius adhibita præparatione; ut ne loquantur humanae sapien-  
tiae verba, sed, *in simplicitate cordis et sinceritate Dei*<sup>1</sup>, Christi  
exemplum sectentur, qui quamvis *abscondita* eructaret *a con-*  
*stitutione mundi*<sup>2</sup>, loquebatur tamen omnia *in parabolis ad*  
*turbas et sine parabolis non loquebatur eis*<sup>3</sup>. Id ipsum et Apo-  
stolos, a Domino institutos, præstitis novimus; de qui-  
bus Gregorius Magnus aiebat: *Curaverunt summopere rudibus*  
*populis plana et capabilia, non summa atque ardua, prædicare*<sup>4</sup>.

<sup>1</sup> II, Cor. 1, 12.

<sup>2</sup> Matth. xiii, 35.

<sup>3</sup> Ib. 34.

<sup>4</sup> Moral. I. xvii, cap. 26.

Ad religionem autem quod attinet, homines magnam partem rudibus, hac tempestate nostra, sunt accensendi.

Nolimus porro, ne ex eiusmodi simplicitatis studio persuadeat quis sibi, in hoc genere tractando, nullo labore nullaque meditatione opus esse: quin immo maiorem plane, quam quodvis genus aliud, requirit. Facilius longe est reperire oratorem, qui copiose dicat ac splendide, quam catechistam, qui praeceptionem habeat omni ex parte laudabilem. Quamcumque igitur facilitatem cogitandi et eloquendi quis a natura sit nactus, hoc probe teneat, nunquam se de christiana doctrina ad pueros vel ad populum cum animi fructu esse dicturum, nisi multa commentatione paratum atque expeditum. Falluntur sane qui plebis imperitia ac tarditate fisi, hac in re negligentius agere se posse autumant. E contrario, quo quis rudiores nactus sit auditores, eo maiore studio ac diligentia utatur oportet, ut sublimissimas veritates, adeo a vulgari intelligentia remotas, ad obtusiorem imperitorum aciem accommodet, quibus aequa ac sapientibus, ad aeternam beatitatem adipiscendam sunt necessariae.

Iam igitur, Venerabiles Fratres, Mosis verbis, in hac postrema litterarum Nostrarum parte, liceat vos alloqui: *Si quis est Domini, iungatur mihi*<sup>1</sup>. Advertite, rogamus quae sumusque, quanta animarum clades ex una divinarum rerum ignoratione veniat. Multa forte utilia planeque laudatione digna, in vestra cuiusque dioecesi, sunt a vobis instituta in commissi gregis commodum: velitis tamen, prae omnibus, quanta potestis contentione, quanto studio, quanta assiduitate

<sup>1</sup> Exod. xxxii, 26.

hoc curare atque urgere, ut doctrinae christianaæ notitia cunctorum pervadat animos penitusque imbuat. *Unusquisque, Petri Apostoli utimur verbis, sicut accepit gratiam, in alterum illam administrantes, sicut boni dispensatores multiformis gratiae Dei*<sup>1</sup>.

Diligentiam industriasque vestras, beatissima Virgine immaculata intercedente, fortunet vobis Apostolica Benedictio, quam, testem caritatis Nostrae ac caelestium gratiarum auspicem, vobis et clero ac populo cuique credito amantissime impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die xv Aprilis MDCCCV,  
Pontificatus Nostri anno secundo.

PIVS PP. X

<sup>1</sup> I, Petr. iv, 10.

## EPISTOLA

VENERABILI FRATRI  
MATHIAE EPISCOPO NOVARIENSIVM  
NOVARIAM

PIVS PP. X

VENERABILIS FRATER  
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

eculiari in Nos dilectione incensum amantissimo te corde complectimur, qui, Mathiae Apostoli exornatus nomine, non hunc quasi postremum in Apostolorum collegio sequeris, sed perinde imitaris quasi prae ceteris cum Petro coniunctissimum, quo nempe iam Pontifice atque etiam ipsius eligendi auspice, unus omnium ille connumeratus cum Apostolis fuit. Eiusmodi vero studium non equidem poteras luculentiore profiteri testimonio, quam datis illis ad Nos officiosissimis litteris, unde tam uber et votorum plenitudo laetabilium et faustissimarum significatio rerum afferebatur. O utinam velit per haec solemnia Deus eam tibi rependere felicitatem bonorum, quae praebitae Nobis per epistolam iucunditati respondeat. Quid enim animo Nostro suavius, quam dioecesim tuam universam novisse Pontifici Summo adhaerentem, difficultates Apostolicae Sedis, submissa devote

stipe, sublevantem, optata insuper ac vota, veluti observantiae et humanitatis iudicia, offerentem? Huc autem accessit repetita a te recordatio, mirum quantum desiderata Nobis, praestitae per te navitatis quum cuniculum Sempronii montis, peringentis molitionis opus, a sacris auspicabare precibus. Scilicet consentaneum plane fuit sacram à Religione lustrationem operi obvenire, a qua tantum rei perficiendae adiumenti fuerat impertitum. Quapropter quum habitis erga Nos officiis destinataque huic Sedi stipe, tum composita pientissime dioecesi oblatisque tuis de populari institutione scriptis, tum denique comparato Religioni decore consecratisque humanae industriae incrementis gaudemus ex animo, tibique gratam aperientes voluntatem, Apostolicam Benedictionem tibi gregique tuo peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die xxii Aprilis MDCCCV,  
Pontificatus Nostri anno secundo.

PIVS PP. X

## EPISTOLA

DILECTO FILIO  
GABRIELI MARIAE  
FRATRVM A SCHOLIS CHRISTIANIS  
ANTISTITI GENERALI

PARISIOS

PIVS PP. X

DILECTE FILI  
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

uum propediem, ut accepimus, sollemnem Ordinis con-  
ventum habituri sitis, hac utimur occasione libenter,  
tibi tuisque omnibus paternam Nostram significandi volun-  
tatem; quamquam eam vobis probe perspectam putamus.  
Namque his miseris Galliae temporibus, quum bellum in  
Ecclesiam tam atrox geritur, opus esse intelligimus, ut ad  
aures bonorum pro iustitia et veritate certantium, crebro  
Summi Dicis sonet vox, quae ipsorum, sive approbando sive  
admonendo, contentionem exacuat. Quare vos, qui, uti pecu-  
liarem in modum bene estis de civibus vestris meriti, ita  
praecipuos quosdam ab inimica vi iamdudum toleratis impe-  
tus, magnis erectisque animis iubemus esse, rationemque  
instituti vestri, quantum per has rerum asperitates licet,

retinere. Omnino nolimus, apud vos ceterosque vestri similes, quorum religiosum munus est erudire adolescentulos, ea quam per vulgari audimus, quidquam valeat opinio, institutioni puerili primas vobis dandas esse, religiosae professioni secundas; idque aetatis huius ingenio et necessitatibus postulari. Etsi enim his tantis malis, quae premunt, quoad potest, medendum est, proptereaque in multis rebus cedendum tempori, non eatenus tamen descendendum, ut de sanctissimorum institutorum dignitate atque adeo de ipso doctrinae sacrae patrimonio quid decedat. Itaque in vestra causa illud maneat, religiosae vitae genus longe communi vitae praestare; atque, si magno obstricti estis erga proximos officio docendi, multo maiora esse vincula, quibus Deo obligamini. Ceterum liquet, ideo vos usque adhuc magistros educatoresque iuventutis extitisse eximios (adeo ut vel publice amplissimis laudibus ornaremini), quia tales Ordinis vestri disciplina conformarit ac finixerit. — Quam quidem colite et diligite, ut facitis, summa erga antistites vestros fide studioque, summe inter vos coniuncti; quod autem reliquum est, conscientiae officii obsequimini, freti Deo. Divinae auspicem opis, itemque peculiaris Nostrae benevolentiae testem, tibi, dilecte Fili, et sodalibus tuis universis Apostolicam Benedictionem permanter, in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die xxiii Aprilis MDCCCV,  
Pontificatus Nostri anno secundo.

## DECRETVM

COLONIEN. ET MONASTERIEN. IN IMPERIO GERMANICO  
DISMEMBRATIONIS ET VNIONIS

---

D<sup>e</sup>creto regio, die xvi Septembris anno MDCCCI edito,  
portio quaedam, cui nomen Wackelbeckerfeld, loci  
vulgo Altenessen nuncupati in Borussico Regno ab oppidi  
huius territorio distracta fuit, atque territorio adiuncta loci  
Horst Emscher vulgo dicti. Cum plurima eaque gravissima  
exinde obvenerint damna spirituali fidelium regimini in por-  
tione predicta degentium, eo quod ipsa spiritualibus in  
negotiis Archiepiscopi Coloniensis iurisdictioni subsit, atque  
oppidum Horst Emscher, cui in praesens civiliter adhaeret,  
intra Monasteriensis dioecesis fines existat, tum viro E<sup>m</sup>o  
Huberto Antonio S. R. Ecclesiae Presbytero Cardinali Fischer,  
Coloniensi Archiepiscopo, tum R. P. D. Hermanno Dingelstad,  
Monasteriensis dioecesis Antistiti, opportunum visum est, ut  
memoratum territorium Wackelbeckerfeld ab Archidioecesi  
Coloniensi separaretur, et Monasterensi dioecesi subiiceretur.  
Collatis itaque inter se consiliis, memorati Antistites litteras  
ad Apostolicam Sedem die xxvii Octobris anno MDCCCV dederunt,  
atque iis, quae supra relata sunt, expositis, SS<sup>m</sup>um D. N.  
Pium PP. X exorarunt ut territorium Wackelbeckerfeld a  
Coloniensi Archiepiscopali Ecclesia seiungere et paroeciae  
loci Horst Emscher dioecesis Monasteriensis aggregare, Apo-

stolica auctoritate, dignaretur. Sanctitas Sua ad mei infra-scripti Sacrae Congregationis rebus consistorialibus exspendiendis praepositae Substituti relationem, omnibus mature perpensis, attentis expositis, atque suppleto, quatenus opus sit, quorumcumque in hac re interesse habentium vel habere praesumentium consensu, omnia quae in spirituale fidelium bonum cessura intelliguntur, decernere cupiens, oblatis precibus annuendum censuit, atque de Apostolicae potestatis plenitudine territorium seu portionem Wackelbeckerfeld nomine, loci Altenessen nuncupati, cum omnibus et singulis in ea existentibus et commorantibus, ab Archidioecesi Coloniensi separavit et avulsit, et eamdem portionem, pariter ut supra, cum omnibus et singulis in ea existentibus et commorantibus, paroeciali Ecclesiae oppidi Horst Emscher dicti, Monasteriensis dioecesis, univit et aggregavit, ita ut territorium praedictum in posterum iurisdictioni Episcopi Monasteriensis pro tempore sit subiectum, prout hactenus Coloniensibus Archiepiscopis subiectum fuit, cum clausulis necessariis et opportunis, in contrarium facientibus non obstantibus qui-buscumque. Ad consulendum vero fidelium bono, qui in territorio, ut supra, separato commorantur, praecepit eadem Sanctitas Sua ut documenta omnia ecclesiastica, quae vel fideles ipsos vel loca in eodem territorio existentia respiciunt, a Cancellaria Metropolitanae Coloniensis Ecclesiae extrahantur et Cancellariae Monasteriensis Ecclesiae tradantur, in eâdem in posterum diligentissime servanda. Hisce tandem super rebus Beatitudo Sua praesens edi iussit Decretum consistiale, perinde valitulum ac si super praemissis litterae Apostolicae in forma Brevis vel sub plumbo exspeditae fuissent,

cuius executionem cum facultatibus necessariis et opportunis etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quamcumque aliam personam in ecclesiastica dignitate constitutam, iniuncta insuper obligatione intra tres menses ad Sacram hanc Congregationem transmittendi exemplar authentica forma exaratum executionis peractae, commisit viro Eñno Coloniensi Archiepiscopo, et decretum ipsum referri mandavit inter acta Sacrae huius Congregationis Consistorialis.

Datum Romae, hac die v Maii an. Domini MDCCCV.

Pro R. P. D. SECRETARIO

IVLIVS GRAZIOLI

S. C. Consistorialis et S. Collegii *Substitutus.*

## EPISTOLA

DILECTO FILIO NOSTRO  
JOSEPH SEBASTIANO S. R. E. PRESB. CARD. NETO  
PATRIARCHAE OLISIPONENSI  
AC VENERABILIBVS FRATRIBVS  
ARCHIEPISCOPIS ET EPISCOPIS REGNI LVSITANIAE

---

PIVS PP. X

DILECTE FILI NOSTER ET VENERABILES FRATRES  
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

**S**ollicito vehementer animo hisce vos litteris. alloquimur, adducti, ut intelligitis, earum indignitate rerum, quae, non uno quidem nomine improbandae, claram Lusitaniae urbem recens commoverunt. Hae nimirum cum pro ea cura, quam de alumnis sacrorum gerimus, incredibilem quandam Nobis aegritudinem afferunt, tum causam nimis idoneam dant, quam memores Nostrarum partium, capimus, cohortandi vos, ut ipsam sacrae iuventutis institutionem studiosissime accuretis. Evidem non diffitemur, huic vos officio haud-quaquam deesse solitos, ac praesertim his viginti annis studuisse vestrorum disciplinam temperationemque Seminariorum melius constituere. At in hoc genere, etsi bonos cepistis adhuc laborum fructus, videtis tamen ipsi, multa esse reliqua,

in quibus elaborare necesse sit. Iamvero desiderari aliquid vestrae, in hac causa, diligentiae pastoralis, quaesumus, ne patiamini. Nimium quantum Ecclesiae populique christiani interest, talia esse clericorum Seminaria, qualia Tridentina Synodus providentissime voluit: pietatis nempe artiumque bonarum domicilia, ubi rite atque ordine lecta in spem divini ministerii iuventus virtutibus doctrinisque debitibus instruatur. Ut enim ex illis, si quidem instituti sui rationem inviolate retineant, praeclarae sunt utilitates in commune expectandae, ita si vel paullum ab ea ratione deficiant, maxima sunt ex iisdem metuenda incommoda: id quod tristis rerum experientia confirmat. — Quare si vobis est, quod summopere debet esse, cordi, suppleri Clerum vestrum sacerdotibus iis, qui non inscientia aut desidia aut probrosis moribus sanctissimum munus dedecorent, verum scientiae ornatu, studio animarum, integritate vitae eo se nomine dignos praestent, similiter vestrum cuiusque Seminarium vobis esse cordi patet oportere. Hoc igitur omni ope excolite, hunc, inquit, praecipuum industriae vestrae campum, in quo quum sancte studioseque versati eritis, tum putate cetera officii vestri munia magnam partem vos executos. — Quamquam ad parandam sacerdotum copiam, qui dignitatem decusque Cleri retineant, non satis fuerit eam tantam curam in Seminario collocasse: magnum profecto istud, sed nequaquam in isto omnia. Relinquitur enim, ut in adsciscendis ministris sacrorum nihil temere, nihil nisi ex conscientia officii fiat. Religiosissime servandum est Episcopo quod Paullus Apostolus graviter admonuit: *Manus cito nemini imposueris;* quippe periculorum plena est omnis, in negotio huius momenti ac ponderis, festi-

natio: at multo magis cavendum, ne quo studio et favore hominum adducatur, ut manus cuiquam, minus digno, imponat. Enimvero hoc adeo tetur est facinus, ut minime suspicio eius cadere in quemquam vestrum possit: illud potius, ut in consecrandis clericis nullum cautionis genus supervacaneum vobis videatur, etiam atque etiam rogamus. — Verum in tota hac re, quae ita unumquemque vestrum attingit, ut attingat universos, propterea quod ad ipsius Lusitanae Ecclesiae salutem pertinet, ne satis habetote, pro viribus contendere et eniti singulos, sed consilia inter vos conferendo, deliberetis identidem, cupimus, quid maxime ad commune propositum conducat. Itaque, quoniam intermissum istic accepimus esse morem solemnes Episcoporum coetus habendi, dabitis operam, ut eum quamprimum atque ob hanc potissimum causam, de qua loquimur, revocetis.

Auspicem divinorum munerum et paternae Nostrae benevolentiae testem vobis, Dilecte Fili Noster et Venerabiles Fratres, Apostolicam Benedictionem peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die v Maii mccccv, Pontificatus Nostri anno secundo.

PIVS PP. X

## EPISTOLA

VENERABILIBVS FRATRIBVS ET DILECTIS FILIIS  
EPISCOPIS CETERISQVE LOCORVM ORDINARIIS  
IN REPVBLLICA AEQVATORIANA

---

PIVS PP. X

VENERABILES FRATRES ET DILECTI FILII  
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

**A**cre nefariumque bellum ab iis, qui rempublicam Aequatorianam temperant, iamdudum adversus Ecclesiam susceptum, tantum abest ut diuturnitate defervescat, ut flamمام potius concipiat in dies maiorem. Iam horum consilia huc spectare, ad religionem Catholicam non modo iniustis vinculis impediendam sed evertendam funditus, clare indicant istae quae rogantur et sanciuntur leges; si tamen leges ea sunt decreta nominanda, quibus civilis auctoritas perperam de rebus, a ratione et potestate sua remotis, quid statuerit.

Apostolica quidem Sedes, pro paterna sua in civitatem vestram benevolentia, permultis perque magnis testata exemplis, quum nihil praetermisit, quod hostiles mitigare animos posset, tum de reliquo facilitatem indulgentiamque omnem paratissima est ad redintegrandam pacem adhibere. — Interim vero Apostolici sanctitas officii, quemadmodum Decessorem Nostrum fel. rec. Leonem XIII impulit, ut, datis ad

vos litteris, violata Dei et Ecclesiae iura vehementer expostularet, ita nunc, quando novae maioresque dolendi causae in hoc genere existunt, impellit Nos, ut illatas religioni iniurias eo magis conqueramur.

Sane haec talia deplorare satis non possumus, de quibus iam nonnulli vestrum, valde se Nobis probantes, questi sunt: sanctitudinem stabilitatemque matrimonii christiani inique attentatam; exturbatum bonorum possessionibus Clerum; disiectas religiosorum familias, nativamque potestatem solemnia Deo vota nuncupandi coaugustatam improbe; varia perfunctioni sacri ministerii allata impedimenta. Atque ad ista omnia, quae quidem maximo Nobis moerori sunt, vobisque, quotquot estis sacrorum Antistites, intolerandam rerum conditionem creant, cumulus quidam accedit ex eo, quod pleraque dioeceses diutius iam Episcopos suos desiderant. Iamvero huic ipsi incommodo, singularem in modum gravi, quod multorum causam malorum continet, ne fiat remedii cunctatione gravius, sentimus mature aliqua medendum esse.

Sed alia praeterea est cura, quae Nos magnopere sollicitat: veremur quippe, nec sine causa, ne istorum, qui in civitate praesunt, exempla sensim in iis, qui subsunt, tantum possint, ut veterem exploratamque istorum cum Romano Pontifice coniunctionem extenuent. Quapropter vestrum erit, Venerabiles Fratres et dilecti filii, omnem operam diligenteriamque conferre in populum, et efficere, ut catholici homines, arctius in dies vobis et per vos Apostolicae Sedi adhaereant: iidemque, vobis auctoribus, concordi nisu et salva verecundia civili auctoritati debita, contendant quavis legitima ope sarcire damna, quae religioni publice importata sint.

In primis vero excitate omnes et hortamini ad officia rite servanda christianaे vitae, illa praeſertim, quorum custodiām praeſens rerum perturbatio difficiorem facit. Quibus ex officiis duo nominatim commendanda sunt. Alterum, ut ista direptione ecclesiasticorum bonorum quidquam deminui de sacrosancto iure dominioque Ecclesiae ne putent, ideoque religiose videant obtemperandum esse sacrorum canonum in hac re praescriptis, niſi statutas subire poenas, adversus huius sacrilegii reos gravissimas, velint. Alterum, ut, quoniam divini cultus necessitatibus consulere, redacta ad inopiam, Ecclesia non potest, subsidio huic veniant catholici, uti par est, ac sumptus eiusmodi, pro sua quisque facultate, suppeditent.

Ceterum nolumus, propter has temporum acerbitates despondeatis animum. Adspicite in auctorem fidei et consummatorem Iesum; qui cum, ipſe tentatus per omnia, Ecclesiae suae similia perpetienda fore denuntiavit, tum, quod ipſe vicisset mundum, in se confidere eam iussit. Hac igitur fiducia subnixi, vos alacres, Ecclesiae sanctae causā, contendite; Nosque interea Deum implorabimus, ut et vobis opportunam det opem, et meliorem Reipublicae istius moderatoribus mentem iniiciat. — Horum auspicem bonorum et paternae Nostrae benevolentiae testem, vobis, Venerabiles Fratres et Dilecti Filii, et Clero populoque vestro Apostolicam Benedictionem peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die xiv Maii MCCCCCV,  
Pontificatus Nostri anno secundo.

PIVS PP. X

DE PECTORALI CRVCE  
ETIAM A PVRPVVRATIS PATRIBVS GESTANDA  
QVI EPISCOPALI CONSECRATIONE AVCTI NON SINT

—

PIVS PP. X

MOTU PROPRIO

 La Croce Pettorale, distintivo particolare della dignità Vescovile, non è però talmente propria dei Vescovi, che non siasi usata nè si usi legittimamente da nessun altro prelato; essendo a tutti ben noto, che essa a parecchi dignitari del clero secolare e regolare venne dalla S. Sede, nelle varie epoche, accordata con opportune cautele e restrizioni, e con ampiezza più o meno notevole. Il che vedesi ammesso e confermato dal Nostro *Motu Proprio* del 21 Febbraio del corrente anno, col quale abbiamo concesso che i Protonotari Apostolici *de numero Participantium*, nonchè i Soprannumerarii e quelli che *ad instar Participantium* sogliono addomandarsi, *ad Ecclesiam accedentes pontificalia celebraturi, ab eaque recedentes*, possano portare la Croce Pettorale nella forma, di cui ivi si fa espressa menzione<sup>1</sup>. — Ora, considerando che i Cardinali della Santa Romana Chiesa, secondo le sentenze adoperate dai Sommi Pontefici, Nostri Anteces-

<sup>1</sup> Art. 7, 26, 47.

sori, « sono i principali membri della persona del Papa; rappresentano gli Apostoli quando di Cristo erano ministri; assistono il Vicario di Dio in qualità di consiglieri e coadiutori nel governo del mondo cattolico; chiamati al Collegio Apostolico, addivengono congiudici di tutta la terra; sono simili a' re, e giustamente hanno nome di veri cardinali, sui quali deve volgersi la porta della Chiesa, e salda e stabile mantenersi »; Noi pensiamo essere altamente e del tutto conveniente, ch'essi, nell'uso delle sacre insegne o distintivi, a nessun Prelato, a loro inferiore, sieno o sembrino in alcun modo secondi. — E, di conseguenza, giacchè il diritto di portare pubblicamente e privatamente la Croce Pettorale è riconosciuto in tutti i Vescovi, e, per le sacre funzioni solenni segnatamente, in non pochi altri Prelati, secolari e regolari; affinchè pubblicamente e privatamente si appalesi vie più onorata la sublime dignità Cardinalizia, ancora nei membri del S. Collegio, i quali non abbiano la consacrazione vescovile; Noi, a tutti i Cardinali presenti e futuri dell'Ordine Presbiterale e Diaconale, non consacrati Vescovi, concediamo, in perpetuo e senza limitazione veruna, di potere, in pubblico ed in privato, ornarsi della Croce Pettorale; e vogliamo ed ordiniamo che, in ciò, non siavi alcuna distinzione tra Cardinali aventi e non aventi il carattere episcopale; talchè a tutti sia concesso, e tutti debbano portare la detta Croce Pettorale, anche nella presenza del Romano Pontefice; e, da questo giorno, il diritto di decorarsene sia non meno proprio dei Cardinali non insigniti del carattere vescovile, che degli altri, e dei Vescovi del mondo intero. — Dichiariamo irrita e nulla qualunque eccezione o

restrizione in contrario, e decretiamo che si debba sempre ritener stabile e fermo quanto è contenuto in questo Nostro *Motu. Proprio.*

Dato in Roma, dal Palazzo Apostolico Vaticano, questo dì 24 Maggio 1905, festa della B. V. M. *Auxilium Christianorum*, anno secondo del Nostro Pontificato.

PIVS PP. X

## EPISTOLA

VENERABILI FRATRI

AVGVSTINO EPISCOPO TIT. CONSTANTIENSI

ORDINIS CISTERCIENSIVM REFORMATORVM ABBATI GENERALI

—

PIVS PP. X

VENERABILIS FRATER

SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

**F**inter plura et egregia, quae fel. rec. Leo PP. XIII  
Decessor Noster in bonum rei christiana perfecit,  
illud profecto est cendum, quod tres Congregationes  
Cisterciensium Trappistarum in Ordinem Cisterciensium Re-  
formatorum seu Strictioris Observantiae sub unius Superioris  
Generalis regimine coëgit. Nos autem magno animi solatio  
affecti sumus, cum accepimus illam unitatem aequalitatemque  
disciplinae iam nunc esse omnino perfectam, eamque fructus,  
Ecclesiae et christiano populo salutares, efferre. Verum, ut  
bene copta moveantur in melius, opportunum Nobis  
visum est nonnulla praescriptionum inculcare capita his  
litteris; unde plane intelligere poteritis, quanta vos benevo-  
lentia prosequamur, quantoque studio utilitati Ordinis vestri  
consultum esse velimus.

I. Primum, dilecti filii, quae idem Decessor Noster.  
praesertim in litteris suis Apostolicis, quarum initium est

« *Non mediocri* », anno MCCCCII die XXX Iulii editis, in gratiam vestri Ordinis decrevit et statuit, ea omnia et singula, auctoritate Nostra Apostolica, approbamus et confirmamus.

II. Deinde vos omnes, Superiores ac subditos, vehementer admonitos volumus ut semper sanctam disciplinam custodientes, ex proprio Ordinis vestri instituto sine intermissione precationi et poenitentiae pro animarum salute incumbatis. Etenim si unquam alias, sane in hac rerum acerbitate, qua Ecclesia Dei premitur, huiusmodi religiosorum hominum officium necessarium est.

III. Praesertim vero vos, dilecti filii, qui eiusdem Ordinis domorum Moderatores estis, magnopere in Domino hortamur, rogamus, obsecramus, ut nihil faciatis reliqui, quod ad pristinam Ordinis dignitatem revocandam pertineat. Itaque pro munere, quod geritis, studete, ut propriae Ordinis leges ubique inviolate serventur; nominatimque haec attendite:

1. Norunt omnes, nihil ad relaxandam regularem disciplinam plus valere, quam nimiam in recipiendis alumnis facilitatem. Quare Superiores, ad quos id spectabit, sedulo current, ut in posterum nullus admittatur in Ordinem, quin eius utilitati et decori inservire posse aut velle videatur.

2. Summae etiam curae vobis esto, ut secundum Ordinis vestri leges recta studiorum ratio vigeat, et ne quis ad maiores Ordines promoteatur, quin studio sacrae theologiae diligenter, ut oportet, operam dederit.

3. Regularis observantia non raro ob id collabi solet, quod Ecclesiae leges atque ipsa religiosorum Ordinum statuta super bonorum administratione non, uti par est, sancte custodiuntur. Quapropter, ad maxima deprecanda mala, omni-

bus et singulis Superioribus edicimus, ut, quoties agatur de bonis emendis, alienandis, permutandis, de mutuo contrahendo quod decem millia libellarum attingat, de aedificio exstruendo, demoliendo, restaurando, aut de alia impensa facienda, extraordinaria et notabili, quae pertineat scilicet ad summam pecuniae dictam, ne quid tale faciant, nisi et habita Capituli Generalis aut Abbatis Generalis venia, et ea fideliter servando, quae Constitutionibus et Decretis Apostolicae Sedis praescripta sunt.

4. Quoniam praesidium valde efficax ad disciplinam regularem conservandam aut instaurandam inest in Visitatione canonica, quae quotannis in singulis Ordinis domibus est peragenda, ideo Visitatores hortamur in Domino rogamusque, ut gravissimum officium suum diligentissime impleant, et de monasteriorum statu personali, disciplinari, materiali et oeconomico Abbatem Generalem certiorem faciant; Superiores autem domorum monemus, ut Visitatori accuratissimam relationem de statu oeconomico sui quisque monasterii exhibeant.

5. Negotia sive totius Ordinis, sive singulorum vel monasteriorum vel monachorum, quae in Romana Curia expedienda sunt, Procurator Generalis, qui ex principiis iuris communis est gestor negotiorum Ordinis apud Apostolicam Sedem, ipse de mandato Abbatis Generalis solus omnia curet expedienda: deque iis, iniussu suo, cum Cardinalibus aut cum quibusvis Romanae Curiae Officialibus tractare quidquam nemo audeat.

Has leges potissimum sanctas esse vobis volumus: eis autem vos non solum pro vestro erga Vicarium Iesu Christi obsequio, sed etiam pro studio quo Institutum vestrum colitis, fore ut religiose semper obtemperetis, certo scimus. —

Auspicem divinorum munerum et paternae benevolentiae  
Nostrae testem, tibi, Venerabilis Frater, et Ordini tuo uni-  
verso Apostolicam Benedictionem peramanter in Domino  
impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die xxxi Maii MDCCCCV,  
Pontificatus Nostri anno secundo.

PIVS PP. X

## LITTERAE APOSTOLICAE

ERECTIONIS DVARVM NOVARVM PAROECIARVM  
SANCTAE MARIAE AD AEDEM NOVAM  
ET SANCTI IOACHIMI IN PRATIS  
DE VRBE

—

PIVS EPISCOPVS  
SERVVS SERVORVM DEI  
AD PERPETVAM REI MEMORIAM

**A**lmae Urbis Nostrae conditiones novae, cum necessitatem alias res novandi invexere, tum illud iamdudum postulant, ut praesens paroeciarum distributio, quippe quae multis partibus desierit esse opportuna, commutetur. Harum enim, amplificata magnis cum aedificiorum accessionibus civitate, ingens disparilis consecuta est: quum quidem interiores quae sunt paroeciae, exiguis circumscriptae finibus, exiguum complectantur incolarum numerum, quae vero in regionibus sunt extremis et latissime pateant et incolis redundant adeo, ut non, quemadmodum oportet, curationi satisfiat animarum. Quapropter Leo XIII fel. rec., Decessor Noster, paroecias ipsas aequabilius atque ad sacrorum administrationem accommodatius partiri cogitans, anno MCCCCCI idoneis delectis viris provinciam mandavit excogitandae com-

muniter rationis, qua id effici propositum posset. Mandatum hi nuper exsecuti, repertam a se rationem ad nos detulerunt: quam tamen non uno eam tempore totam, sed partim ac sensim adducere ad effectum decrevimus. — Itaque initium rei facientes his Litteris, Nos, de plenitudine Apostolicae potestatis, paroecias extinguimus et abolemus duas, id est, Sancti Thomae in vico *Parione* et Sanctae Luciae, quae vernacula lingua dicitur *del Gonfalone*: itemque duas earum loco instituimus fundamusque paroecias, id est, Sanctae Mariae ad Aedem Novam et Sancti Ioachimi in pratis. Ad quas bona, redditus et iura extinctarum paroeciarum omnia et singula transferimus: ita quidem, ut quae fuerunt paroeciae Sanctae Luciae attributa, ea posthac ad paroeciam Sancti Ioachimi, quae autem paroeciae Sancti Thomae, illa ad paroeciam Sanctae Mariae pertineant. Utriusque vero novae paroeciae spatium eis continebitur terminis, qui postea ex auctoritate Nostra definientur.

Praesentes Litteras et in eis contenta et statuta quaecumque, nulla unquam ex causa, colore et capite, etiam ex eo quod Paroeciarum Patroni sive Ecclesiastici sive Laici, vel alii quilibet in praemissis seu in eorum aliquo, ius aut interesse, quamvis ex fundatione, dotatione vel ex alio quovis titulo habentes vel habere praetendentes etiam quomodolibet in futurum, illis non consenserint, seu ad ea vocati et auditи non fuerint, de subreptionis, obreptionis aut nullitatis vitio seu aliquo defectu inexcogitato et substanciali, notari, impugnari aut in controversiam et iudicium vocari posse: sed tamquam ex Pontificiae Providentiae officio, et Motu proprio, certa scientia, matura deliberatione, deque Nostrae Aposto-

licae Potestatis plenitudine editas omnimoda firmitate perpetuo validas et efficaces existere, et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtainere, atque ab omnibus inviolabiliter observari volumus et decernimus, sublata cunctumque, etiam Cardinalitia dignitate fulgenti, quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate; irritum quoque et inane decernentes quidquid in contrarium scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus de iure quaesito non tollendo aliisque Nostris et Cancellariae Apostolicae Regulis, Praedecessorum Nostrorum Constitutionibus et Ordinationibus et quarumcunque Ecclesiarum etiam Patriarchalium seu Ordinum et Congregationum, iuramento et confirmatione Apostolica vel quavis alia firmitate roboratis, statutis et consuetudinibus, etiam Motu proprio aliisque quibuslibet in contrarium praemissorum concessis, de illis eorumque totis tenoribus praesentibus pro expressis habentes, pari Motu, scientia et Apostolicae Auctoritatis Nostrae plenitudine, plenissime et latissime specialiter derogamus.

Praesentium vero transumptis seu exemplis etiam impressis, manu tamen Notarii Apostolici subscriptis et sigillo Personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eamdem fidem in Iudicio et extra haberri volumus, quae ipsis praesentibus haberetur, si originaliter exhiberentur.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae suppressionis et extinctionis erectionis et translationis derogationis Indulti, decreti, statuti, mandati et voluntatis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei ac

Beatorum Apostolorum Eius Petri et Pauli se noverit incur-  
surum.

Datum Romae apud S. Petrum Anno Incarnationis Domi-  
nicae Millesimo Nongentesimo Quinto — Kalendis Iunii —  
Pontificatus Nostri anno secundo.

A. CARD. DI PIETRO Pro-Dat. — A. CARD. MACCHI

VISA

DE CVRIA I. DE AQVILA E VICECOMITIBVS

Loco  Plumbi

*Reg. in Secret. Brevium*

V. CVENONIVS

## EPISTOLA

AVGVSTISSIMO POTENTISSIMOQVE

IMPERATORI SINARVM

PEKINVM

PIVS PP. X

AVGVSTISSIME ET POTENTISSIME IMPERATOR

SALVTEM ET PROSPERITATEM

**Q**uibus Nos litteris septuagesimum aetatis annum faustum et felicem Maiestati Suae Imperatrici Sinarum ominabamur, rescribebat perquam humane Imperatoria Maiestas Tua, mirum quanta cum cordis Nostri laetitia. Quod autem praeterea placuit Maiestati Tuae ut oblatum a Nobis munus peramplo ac maxime nobili dono rependeret, fuit id Nobis supra quam dici potest iucundum, fecitque eo vel magis exploratum summam esse Maiestatis Tuae et cum Persona Nostra amicitiam et erga catholicos istos voluntatem. Velit igitur a Nobis Imperatoria Maiestas Tua gratias habere quamplurimas; simul omina excipiat et vota, unde enixe imploramus Deum, ut Te Suamque Maiestatem Imperatricem Sinarum ac universam Augustissimam Domum diutissima iubeat sospitate et incolumitate gaudere.

Datum Romae apud S. Petrum, die viii Junii MDCCCV,  
Pontificatus Nostri anno secundo.

PIVS PP. X

## EPISTOLA

DILECTO FILIO NOSTRO

JOSEPH TIT. SS. IOANNIS ET PAVLI

S. R. E. PRESBYTERO CARDINALI FRANCICA NAVA DI BONTIFÉ

ARCHIEPISCOPO CATANENSIVM

CATANAM

PIVS PP. X

DILECTE FILI NOSTER

SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

**Q**ui eucharisticum ex universis populis coetum, Romae paullo ante coactum, praecipua sumus gratia prosecuti, ob eam assequendam in primis utilitatem fidelium, quae Nostrarum, sive in curionis officio, sive in Episcopatu, sive in Pontificatu, curarum summa fuit, facere profecto nullo modo possumus ut non istum, qui proxime habebitur, eucharisticum e dioecesi congressum benevolentia complectamur, e quo non minora expectamus exstitura incrementa pietati Catanensium. Eiusmodi namque congressiones tam sunt animo Nostro carae, quam sunt christianaе plebi salutares. Esse autem spiritui salubres inde fit exploratum, quod amorem ac benefacta Christi sacramento tecti concelebrent, huma-numque genus ad rependendam cum dilectione gratiam alli-ciant. Nos autem, quibus est prae re omni persuasum non posse homines ad virtutem colendam appelli, nisi divinum

et sinceritas universis perstabit, nulla ratione dubitamus fore  
ut catholicae tuitio rei in Hispania confirmetur, plurimoque  
atque eo longe laetissimo gaudeat profectu. Quo autem copio-  
sius Hispanis caelestia lumina suppetant, unde comptum  
quotidie magis habeant quam multa e foederibus alienis  
a civilium studiis partium commoda pendeant, Apostolicam  
Benedictionem quum laudatis sodalitatibus earumque prae-  
sidibus et adiutoribus, tum maxime tibi peramanter in  
Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die i Iulii a. MDCCCCV,  
Pontificatus Nostri secundo.

PIVS PP. X

DE EXAMINIBVS ORDINANDORVM IN VRBE

—

PIVS PP. X

MOTU PROPRIO

**S**acrae sancta Tridentina Synodus de iis agens, qui ad sacra initiandi forent, sic prescribebat: « Sancta Synodus, antiquorum canonum vestigiis inhaerendo, decernit ut quando Episcopus ordinationem facere dispositus, omnes qui ad sacrum ministerium accedere voluerint, feria quarta ante ipsam ordinationem vel quando Episcopo videbitur, ad civitatem evocentur. Episcopus autem, sacerdotibus et aliis prudentibus viris, peritis divinae legis ac in ecclesiasticis sanctionibus exercitatis, sibi adscitis, ordinandorum genus, personam, aetatem, institutionem, mores doctrinam et fidem diligenter investiget et examinet »<sup>1</sup>.

Ex quibus profecto patet neminem omnino excipi a doctrinae periculo subeundo, qui velit ad sacros ordines promoveri; itemque doctrinae periculum eiusmodi, non quasi pro forma atque obiter, sed diligentissimae investigatione facendum. — Ac merito quidem: non enim promiscuum est, doctus sit an indoctus qui sacris initietur; sed ea prorsus

<sup>1</sup> Sess. XXIII, cap. vii, *de Reform.*

ratione qua castis rectisque moribus commendari illum oportet, eadem et doctrina exornari necesse est.

Hinc Decessores Nostri, praesertim vero Alexander VII f. r. Const. « *Apostolica sollicitudo* », de doctrinae examine ab ordinandis rite peragendo multa monuerunt ac sapientissime decreverunt, tum pro dioecesibus universis, tum praecipue pro hac alma Urbe, quae ipsis erat peculiari officio commendata, utpote Romani Episcopatus sedes.

Quae cum decursu temporum, ut assolet in humanis, non-nihil neglecta fuerint; placet Nobis, quoniam res agitur momenti maximi, quid in ea re sit praestandum enucleatius edicere ac distinctius statuere. Quae igitur sequuntur sancte in posterum praestanda volumus et mandamus.

I. Quicumque in Urbe, sive de saeculari clero sive de regulari, sacris ordinibus initiandi erunt, omnes, excepto nemine, doctrinae periculum facient in Curia Cardinalis Vicarii Nostri. Qua in re Tridentinae Synodi decreta innovamus et confirmamus, ac privilegium exemptionis quocumque penitus extinguiimus, atque illud etiam quo fruitur Societas Iesu ex Constitutione « *Pium* » Gregorii XIII et Constitutione « *Quantum* » Pauli V Decessorum Nostrorum.

II. Quibus de rebus quave methodo examinandi sint, qui vel sacram Tonsuram vel minores Ordines sunt suscepturi praxis edocet, quae huc usque obtinuit, quamque Nos obtinere in posterum, nulla mutatione, volumus.

III. Ad maiores Ordines qui sunt evehendi, ii de *Instructione* primum interrogandi sunt, quae ad Ordinem suscipiendum pertinet. Tum etiam tractationes aliquas de Theologia dogmatica proponent: videlicet, unam pro Subdiaconatu;

binas pro Diaconatu; ternas pro Presbyteratu, ac praeterea tractationem de sanctissimo Eucharistiae Sacramento.

IV. Qui ad Diaconatus Ordinem promovendi sunt, in faciendo periculo, tractationem theologicam, quam pro Subdiaconatu proposuerunt, iterum proponere ne queant: item Sacerdotio qui sunt augendi, tractationem nullam proponant, de qua in praeteritis examinibus tentati iam fuerint.

V. Quas quisque theologicas tractationes proponat, singulorum ordinandorum arbitrio permittimus. — Cardinalis tamen Vicarii Nostri erit tractationum seriem perscribere ac definire, praeter cuius limites nulla ordinandis eligendi facultas esto. — Singula porro examina quam diu sint protrahenda, eiusdem Cardinalis Vicarii Nostri prudenti arbitrio statuendum relinquimus.

VI. Quicumque, ex ordinandorum numero, Theologiae lauream in aliqua pontificia Universitate consequuti fuerint; eos a subeundo periculo de re theologica exemptos volumus.

VII. Pontificia decreta quae adhuc vigeant, et Vicariatus Nostri urbani consuetudines, quae hoc Motu-proprio Nostro non sint mutata vel abrogata, vim omnem ac robur in posterum etiam obtinere volumus ac decernimus.

Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die xvi Iulii anno millesimo noningentesimo quinto, Pontificatus Nostri secundo.

## DECRETVM

MEXICAN. ET DE TULANCINGO IN REPUBLICA MEXICANA  
DISMEMBRATIONIS ET UNIONIS

—

atholici Orbis dioeceses iis limitibus circumscribi qui vel locorum rationi, vel finibus civilibus seu politicis regionum, in quibus sunt constituenda, apprime convenient, constans fuit Apostolicae Sedis sollicitudo. Ita enim non modo quaestionibus occurritur, quae haud raro ex non bene definita limitum assignatione orientur, sed et aptiori rei sacrae procurationi et publicae consultur tranquillitati. Facilius siquidem ii reguntur, quorum iam animos loci ipsius, in quo commorantur, natura sociavit; praetereaque ubi unus est Episcopus, ibique una eademque auctoritas, quae civilibus praesit negotiis, facilius inter ipsas potestates, quas ad homines regendos Deus ordinavit, ea firmatur concordia, quae quanti sit facienda, et quantum rei ipsi religiosae fovenda conferat, sacra et politica historia satis superque demonstrat. Cum itaque RR. PP. DD. Prosper Ioseph Maria Alarcon et Ioseph Mora, alter Metropolitanae Ecclesiae Mexicanae Archiepiscopus, Episcopus alter dioecesis de Tulancingo, litteris ad Apostolicam Sedem datis, exposuerint intra fines Mexicanae Archidioecesis, a civitate tamen Metropolitana longe dissitam, civitatem existere *Pachuca* vulgo

nuncupatam, quae civiliter ad provinciam seu statum pertinet in quo erecta est dioecesis de Tulancingo, atque intra huius dioecesis territorium civitatem *Tula* nomine contineri, quae geographice ad regionem Metropolitanae Ecclesiae Mexicanae spectat, ideoque SS<sup>m</sup>um D. N. Pium PP. X humiliter exoraverint, ut civitatem *Pachuca* ab Archidioecesi Mexicana separare et territorio cathedralis Ecclesiae de Tulancingo unire vellet, eidemque Metropolitanae Ecclesiae Mexicanae, ex territorio dioecesis de Tulancingo, civitatem *Tula* cum adnexo vicariatu, quem *Traxcuapan* dicunt, aggregate; Sanctitas Sua, omnibus mature perpensis, rei sacrae procreationi, meliori qua fieri potest ratione, providere cupiens, attentis expositis, oblatas preces benigne excipere dignata est. — Apostolica itaque auctoritate Beatitudo Sua, suppletio, quatenus opus est, quorumcumque in hac re interesse habentium vel habere praesumentium consensu, civitatem *Pachuca* nuncupatam a territorio Archidioecesis Mexicanæ separavit, eamque cum omnibus et singulis in ea existentibus et commorantibus dioecesi de Tulancingo univit et attribuit; itemque ab huius dioecesis territorio civitatem *Tula* nomine cum adnexo eidem Vicariatu *Traxcuapan* nuncupato, et omnibus et singulis in ea existentibus et commorantibus, divisi et avulsit, atque Mexicanæ Ecclesiae Metropolitanae adiunxit et incorporavit, ita ut in posterum civitates praedictae iurisdictioni Praesulum dioecesium, quibus hoc consistoriali decreto adnexae sunt, sint subiectae, prout hactenus respective subiectae fuerunt iurisdictioni et auctoritati Antistitutum Mexicanæ Archidioecesis et dioecesis de Tulancingo.

Ne vero exinde incolis civitatum Pachuca et Tula ullum obveniat damnum, paecepit eadem Sanctitas Sua ut documenta omnia easdem civitates earumque incolas respicientia, a Tabulariis dioecesium, in quibus huc usque servata sunt, extrahantur, et debita forma Tabulariis dioecesis de Tulancingo et Archiepiscopalnis Ecclesiae Mexicanae respective tradantur, in iisdem in posterum servanda; iussitque hisce super rebus praesens edi consistoriale decretum, perinde valitum ac si super praemissis Litterae Apostolicae sub annulo Piscatoris expeditae fuissent; cuius executionem cum facultatibus necessariis et opportunis etiam subdelegandi ad effectum, de quo agitur, quamcumque aliam personam in ecclesiastica dignitate constitutam, commisit R. P. D. Ioseph Ridolfi, Archiepiscopo Episcopo Tudertino et in Mexicana Republica Delegato Apostolico, iniuncta eidem obligatione intra sex menses ad Sacram hanc Congregationem mittendi exemplar authenticum executionis peractae, et decretum ipsum inter acta sacrae huius Sacrae Congregationis Consistorialis referri mandavit.

Datum Romae, hac die xi Augusti an. Domini MDCCCV.

Pro R. P. D. SECRETARIO  
IVLIVS GRAZIOLI  
S. C. Consistorialis et S. Collegii *Substitutus.*

## EPISTOLA

DILECTO FILIO

VIRO CLARO BVRGVBVVN DOCTORI AC PRAESIDI COETVS  
CONVENTVI LII CATHOLICORVM GERMANIAE APPARANDO  
ARGENTORATVM

—

PIVS PP. X

DILECTE FILI

SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

**M**abiti quotannis coetus catholicorum Germaniae in eam  
Nos opinionem adduci quotidie magis iusserunt, con-  
gressiones easdem, quo plures numero ac successione recen-  
sentur, eo etiam digniores et prae se ferre apparatus et edere  
fructus. Huius sane solatium rei communes nunc confir-  
mavere litterae, Nobis a te datae atque a praesidibus ceteris,  
quum proximo adornando coetui studeretis: vestrarum enim  
curarum ea potissima fuit, aperire ex ordine omnia quae-  
cumque erunt disceptanda congressui, sensusque declarare  
simul, quorum ductu convenietis. Neque modica ista est  
Nobis gaudendi et gratulandi opportunitas: quid enim quam  
fecundam Germanorum alacritatem expetere possimus am-

plius ad inserendam propagandamque religionem? — Caussae  
equidem in disputatione versabuntur graves salubresque,  
atque eaedem ad multiplicem christianaे vitae necessitatem  
perdoneae. Nam quibus maxime, pro conditione temporum,  
expeditat viis fidei nostrae et Apostolicae Sedis cultum pro-  
vehere, proximorum sententias, catholica praelucente doctrina,  
humane ac rite vereri, expeditiones adiuvare sacras, integritati morum prospicere, tenuium fortunam sublevare, locu-  
pletum alere inopumque amicam conspirationem, sacri denique  
civilisque principatus concordiae consulere, in hisce, quem-  
admodum nunciasti, maximi momenti rebus vestra debet  
se prudentia probare. Quod autem decretum vobis sit acce-  
dere ad disserendum eo animo ut hinc Nostra Decessorisque  
Nostrī Leonis XIII fel. rec. prae oculis documenta habeatis,  
inde hortamenta Pauli deducatis ad usum, qui, spiritu actus  
ac repletus Dei, *omnia nostra iussit in caritate fieri*, vehe-  
mentis haec Nobis origo voluptatis est; compertum namque  
et exploratum habemus quam multum emolumenū consne-  
verint qui haec sequi lumina et præcepta studeant, et  
collatis consiliis percipere. Nec minus oblectat coire nos in  
civitatem nobilem, antiquam et piam: cui gloriae est et  
Episcopatuī Romano Pontificem deditis insignem, et coelo  
sanctissimam peperisse sobolem, et artibus monumenta illu-  
stria suppeditasse. Spem ideo firmam sovemus, auspiciis  
Præsulis Argentinensis vestraque diligentia prosperam appar-  
rundo felicemque celebrando coetui debere operam impendi.  
Quoniam vero a summae clementiae Deo, quippe ipse est  
consilii boni largitor, implorandam censem in primis eam,  
eius in vos atque in labores vestros devocamus ardenter

gratiam, testemque votorum animi Nostri Apostolicam Benedictionem tum vobis praesidibus, tum singulis e conventu sodalibus peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die xiv Augusti anno  
mccccv, Pontificatus Nostri tertio.

PIVS PP. X

# LITTERAE APOSTOLICAE

QVIBVS

VICARIATVS APOSTOLICVS TERRITORII INDORVM  
IN NOVAM ERIGITVR DIOECESIM  
OKLAHOMENSEM NVNCVPATAM

—

PIVS PP. X

AD FVTVRAM REI MEMORIAM

**E**n hac sublimi Principis Apostolorum Cathedra nullis quidem meritis Nostris divinitus collocati, in omnes catholici orbis partes oculos mentis Nostrae convertimus, et quae rei sacrae procreationi melius gerendae facere possunt, ea de plenitudine potestatis Nostrae decernere satagimus. Hoc quidem consilio rec. mem. Decessor Noster Leo PP. XIII anno MDCCCLXXXI in Statibus Foederatis Americae Septentrionalis et in provincia ecclesiastica Neo-Aurelianensi Vicariatum Apostolicum Territorii Indorum erexit, qui comprehenderet Territorium Indorum et Oklahomense. Nunc autem cum, re catholica in illis regionibus aucta feliciter, attento Religionis progressu iam habito in Vicariatu et in spem

maioris futuri incrementi, Venerabiles Fratres Archiepiscopus Neo-Aurelianensis et comprovinciales Episcopi Nos enixe flagitaverint, ut idem Vicariatus in Dioecesim Apostolica Auctoritate erigatur; Nos collatis consiliis cum DD. FF. NN. S. R. E. Cardinalibus negotiis Propagandae Fidei praepositis, omnibus rei momentis attente ac sedulo studio perpensis, haec, quae infrascripta sunt, decernenda existimavimus. Nimirum omnes et singulos, quibus Nostrae hae Literae favent, a quibusvis excommunicationis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censemtes, motu proprio atque ex certa scientia et matura deliberatione nostris, deque Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, praesentium vi, Vicariatum Apostolicum Territorii Indorum in Dioecesim erigimus cum iisdem limitibus, nempe Territorii Indorum et Oklahoma, illiusque Episcopalem residentiam in civitate Oklahoma esse volumus, ita ut exinde nova Dioecesis Oklahomensis nomen habeat cum cathedralico pro discreto arbitrio Episcopi imponendo. Decernentes praesentes Literas firmas, validas, et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, illisque ad quos spectat et spectare poterit in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos iudicari et definiri debere, atque irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Nostra et Cancellariae Apostolicae regula de iure quaesito non tollendo, aliisque Constitutionibus et Ordinationibus Apo-

stolicis, ceterisque, speciali licet atque individua mentione et derogatione dignis, in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die xvii Augusti anno MDCCCCV, Pontificatus Nostri tertio.

A. CARD. MACCHI

## EPISTOLA

DILECTO FILIO NOSTRO

ANTONIO JOSEPH TIT. S. MARIAE ANGELORVM

S. R. E. PRESBYTERO CARDINALI GRVSCHA

ARCHIEPISCOPO VINDOBONENSIVM

VINDOBONAM

—

PIVS PP. X

DILECTE FILI NOSTER

SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

 ui apparando proximo catholicorum totius Austriae continentui egregiam, ut est exploratae eorum virtutis, operam navant, aperiere Nobis quam gravia insideant Religioni apud vos et Patriae discrimina, nisi opportuna a fidelibus ac tempestiva remedia adhibeantur, quantique propterea intersit ut consilia istic viresque ab optimis quibusque conferantur, patrocinium defensionemque rei catholicae suscepturnis. Defensionem in praesens dicimus, eheu quanta cum aegritudine animi, assucti antea exhortari non tam ad mala prohibenda, quam ad lectissima quaeque Fidei nostra incrementa comparanda. Vere quippe congressionem hanc vestram non provehendae rei nostrae ardor, sed protegenda officium coēgit, parituram tamen et ipsam cum tutione progressum. Nam si adnitentibus impie inimicis, desidia vos atque ignavia

occuparit, quid non Fidei, quid non patriae metuendum? Exploratum equidem vobis est catholicae osores rei omni ope in Austria contendere ut avitum Fidei thesaurum vestris e cordibus extrahant, populisque tandem persuadeant christianam veritatem humanitatemque iam non congruere civili huius aetatis cultui, nec legitimae curationi tenuium. Haec certe deviarum commenta mentium, etsi vi sua propriaque efficacitate neminem movent, permovent tamen et percellunt specie ipsa novitatis, evenitque passim ut multos decipient perdantque hac una de caussa, quia non quidem vetus, sed recens illa tempus invexit. Et quoniam ad imbuendos errore aut pravitate animos contraria veris sufficere, edocendo, mos est, vel illud hodie indignissime spectandum praebetur, ut sub liberae scholae signis, quae, si nobili significationi nominis exprimendae studeret, ad eam foret informanda libertatem qua Christus nos liberavit, conatum sit nuper infensissimos quosque Religionis Nostrae colligere, disciplinamque educandorum recte iuvenum manibus e nostris eripere. Opus porro vobis non est ut id Nos edicamus, quo tempore adventent aut immineant hostes, tunc esse ad arma conclamandum. Vobis autem non modo insident hostes, sed intra vel imperium, vel civitates, vel denique pagos versantur, cogendique propterea in unum fideles populi sunt, atque e populis fortissimi praecipue viri. Advocatos igitur in coetum, voluntate vos summa adhortamur, velitis necessitates vestras fidenter inspicere communesque inimicos contra et animose intueri: deliberantibus vobis atque agentibus, nec illas providentia deficiet, nec deerit istis repugnatio. Haec autem creare patriae vestrae commoda numquam aliter licebit, quam

concordia atque unitate duce. Concordes propterea ac iuncti ut in exemplum vos sitis, vehementissime cupimus, illudque per vos universo orbi Austria commonstret, ubi catholici disserunt, ibi unum cor unamque existere animam. Quamobrem, ceteris posthabitibus omnibus, quae forte privatim intersint, hoc unum persuasum alte habetote, prosperitatem vestram patriaeque tunc solum iri comparatum, quum rei catholicae rationes reliquis anteponendas curaveritis. Auspicem caelestium gratiarum Nostraeque benevolentiae testem, Apostolicam Benedictionem tibi, dilecte fili Noster, atque Episcopis, ceterisque qui in conventu aderunt, peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die iv Septembris anno MDCCCCV, Pontificatus Nostri tertio.

PIVS PP. X

## EPISTOLA

VENERABILI FRATRI

SIMEONI EPISCOPO DE NICARAGVA

PIVS PP. X

VENERABILIS FRATER

SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

**P**ermoleste equidem allatum est, quod ipse, datis litteris ad Dilectum Filium Nostrum Cardinalem a publicis Ecclesiae negotiis, significabas, eos, qui Rempublicam de Nicaragua administrant, infense te Clerumque fidelem istum exagitare, eoque per sacrilegum ausum devenisse, ut, exturbatum te e patria, ab excolenda dioecesi gregeque a tutando prohibuerint. Divexus et exul, animum certe in Personam nostram intendis, illudque tecum sine dubio commoraras, Pontificem Summum nec tulisse unquam, nec posse in praesens aequo animo perferre illatas venerabili fratri Suo abiis, quibus in sacra nihil est potestatis, acerbitatis tantae molestias. Atque quidem istud est ipsum, quod, ad perculti solamen Fratris, aperire tibi properamus, dum, pro ea, qua universos populos, pastoresque in primis, sollicitudine complectimus, iniectam Religioni iniuriam non dissimulanter conquerimur. Interea libet fovere spem fore ut ii, per quos

viduata iacet suo pastore dioecesis, velint tandem non inficiari factum iniuste, idemque reiicere animo ne refugiant: similiter etiam futurum confidimus ut sinant te ex aerumnoso loco in tuam libere ecclesiam remeare. Ad haec persuasum habemus, non deesse tibi nec obsequentem permissioni Dei voluntatem, nec firmam in Deum fidem pietatemque, qui rogantem miserum nunquam non adiuvit ope praesenti. Hortamur tamen enixe ut, quae valere aut conducere ad optatum exitum videantur, ea ne praetermittas omni sollertia accurare, id profecto ratus, rem Nobis te effecturum vehementer probabilem, si, cum divini imploratione praesidii, humanis etiam adiumentis, quae episcopalnis tibi prudentia suaserit, salutem quaerere libertatemque studueris. Preces autem pro te adhibituri summas, testem benevolentiae Nostrae ac divini solatii pignus Apostolicam Benedictionem tibi et dioecesi tuae peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die vii Septembris anno MDCCCV, Pontificatus Nostri tertio.

PIVS PP. X

## EPISTOLA

DILECTO FILIO  
AIDANO GASQVET ABBATI  
ET CONGREGATIONIS ANGLO-BENEDICTINAE  
PRAESIDI  
LONDINVUM

PIVS PP. X

DILECTE FILI  
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

**G**bertio exeunte saeculo, postquam nobile istud Gregorii Magni Coenobium initia cepit, iure vos ac merito hanc faustitatem eventus celebraturi propediem estis; quae faustitas recordationem habet rerum, non apud vos tantum, sed late apud catholicos, Anglos praesertim, memorabilium. Primum enim revocatur mens ad ea tempora, quum laetissimam institutorum vestrorum segetem, cum ipso catholico nomine, in Anglia immanis clades oppressit: tempora illa quidem religioni calamitosissima, sed maximarum virtutum ornata exemplis, quibus sese et Ecclesiam maiores praeципue vestri illustrarunt. Eluxit in his venerabilis vir, Ioannes Roberts, qui, ut plures ex eadem disciplina monachi, primatum Apostolicae Sedis profuso sanguine asseruit; Congregationis Anglo-

Benedictinae ornamentum idem et tutela; quo potissimum auctore, accedente ope munifica Cavareli, Atrebensis Abbatis, Gregorianum Coenobium Congregationis reliquiis, velut e naufragio collectis, excipiendis Duaci constitutum acceperimus. Prosperae deinceps, adversaeque iterum res vobis consecutae, argumento fuere, provisum esse divinitus, ut bona semina sempiterna Anglorum salutis, a Gregorio profecta, nequaquam interirent penitus, sed tempestatis impulsu vobis cum advecta in Galliam, eadem longo intervallo rursus ad Anglos, novae procellae acta impetu, redirent. Ergo Soda-litium vestrum, aliis alibi apertis domibus, ipsoque Coenobio, ex auctoritate Pauli V, Pontificis Maximi, tanquam centro et capite instauratae Congregationis facto, sensim visum est, satis diurno spatio, reviviscere, quoad tutum ei honestumque hospitium Gallia praebuit; ubi vero non multum a pristina amplitudine et gloria abesse cooperat, maxima illa rerum omnium conversione exterminatum e finibus Galliae, istuc, unde discesserat, remigravit. Ex eo tempore licuit vobis, quasi postliminio reversis, longinquam intermissionem operae studio et contentione sarcire; fundatoque feliciter apud Downside Gregoriano Coenobio, longe lateque ad incrementum religionis humanitatisque christianaे beneficam vim, Instituto vestro insitam, proferre. Cognitum est, amplissimos viros, optime de Ecclesia meritos, ex isto sanctimoniae sapientiaeque domicilio prodivisse: hodieque id ipsum tum disciplinae integritate, tum studiis et artibus florere, vel Collegium indicat, Coenobio adiectum, ubi virtutum doctrinaeque ornatus lectissimorum adolescentium numerus instruitur. — Ad haec et talia recolenda commodam occasionem proximi dies dabunt,

eamque non vacuam fructu; vestrorum quippe recte factorum cogitatio et augebit erga vos gratiam bonorum et industriam diligentiamque in vobis exacuet. Nos vero ut eadem sollemnia, quibus celebritatem additura est novi eiusque splendidi, ut intelligimus, templi dedicatio, celebriora etiam per Nos fiant, libenter indulgemus vobis, quae infra scripta sunt. Die xix huius mensis, quo die statum festorum triduum incipiet, in festo Sancti Ianuarii liceat vobis ritu votivo in honorem Sancti Gregorii Sacrum facere. Quicumque in Coenobium die xx convenerit, ut Sacro sollemni intersit, is in eum diem lege ieunii et abstinentiae a carnibus solutum se sciatur. Eodem die, festo Sancti Eustachii, sollempne Sacrum ad precandam requiem vita functis sodalibus, ipsorum propinquis, omnibusque bene de Coenobio meritis, fieri fas sit. Praeterea Venerabili Fratri Cuthberto, Episcopo Neoportensi, potestatem facimus, quam ipse, si impeditus aliqua causa fuerit, delegare alteri possit, Pontificia benedictione populum lustrandi. Denique iis, qui sollemni sacro adfuerint, plenariam admissorum veniam sub statis conditionibus semel tribuimus. — Praeter haec autem, quae ad tempus collata sunt, duo mansura munera vobis conferimus, unde Nostra erga Ordinem vestrum benevolentia perpetuo constet. Unum est, ut Sacerdotes ad altare maximum sacris operantes, in novo Sancti Gregorii templo, possint, quemadmodum ad altare Gregorianum in Monte Coelio, perlitare. Alterum est, ut adeuntibus die ii mensis Augusti aedem Coenobii eiusdem et domorum reliquarum, quae sunt Congregationis vestrarum potiores, videlicet Sancti Laurentii ad Ampleforth, Sancti Edmundi Duacensis, Sancti Michaëlis ad Belmont et Sanctae

Mariae ad Stanbrook, quoniam istae ab aedibus Fratrum Franciscalium admodum distant, *Indulgentiam Portiunculae* impetrare liceat. Atque haec omnia vobis Apostolica auctoritate concedimus, contrariis non obstantibus quibuscumque. — Vos vero ex his voluntatis Nostrae testimoniis sumite animos et efficite, ut sacra ista sollemnia tanquam auspicium studiosioris in officio constantiae vobis attulisse videantur. Caelestium autem donorum, quae adprecamur ex animo, pignus itemque praecipuae Nostrae benevolentiae indicem, tibi, dilecte Fili, universaeque Congregationi Anglo-Benedictinae, praesertim dilectis Filiis Edmundo Ford, Priori Sancti Gregorii, eiusque sodalibus, Apostolicam Benedictiōnem peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die viii Septembris, Natali Virginis Deiparae, anno MDCCCV, Pontificatus Nostri tertio.

PIVS PP. X

## EPISTOLA

DILECTO FILIO NOSTRO  
PETRO LAMBERTO TIT. S. CRVCIS IN IERVSalem  
S. R. E. PRESBYTERO CARDINALI GOOSSENS  
ARCHIEPISCOPO MECHLINIENSIVM  
CETERISQVE VENERABILIBVS FRATRIBVS EPISCOPIS BELGARVM  
MECHLINIAM

PIVS PP. X

DILECTE FILI NOSTER AC VENERABILES FRATRES  
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

**A**uspicata appetente die, qua ad vota Belgarum omnium ac praecipue Luitpoldi Regis explenda, dum actae celebritates ob memoriam istius constituti Regni concludentur, primus supponetur lapis aedificandae, curatione publica, Ecclesiae Basilicae honori Cordis Iesu, convolat sponte ad vos Nostra gratulatio, ingentique pro molimine, cuius propediem proficiscentur initia, summa a Nobis vota nuncupantur. Quemadmodum enim pientissimum consilium Regis, ubi primum fuit Nobis compertum, et vehementer probavimus et, data occasione, dilaudandum nomine Nostro penes eumdem Regem curavimus, ita libet in praesens haud vulgarem, pro meritis, honorem navitati Episcoporum impertire,

quorum studio atque industria factum est ut magnis gens ista voluntatibus incepto nobili obsequeretur. Est equidem praestantissimum Belgarum regnum ad veritatem cultumque Religionis nostrae informatum intime; propterea que nihil est dubium quin et splendidum artificio opus, nomini ac dignitati nationis par, sit apud vos excitandum, et uberiorum in posterum a Deo benignitatem, tam illustri pietatis publicae monumento devocatam, sitis persensuri. Summa id certe est ominum Nostrorum: quae quidem si fervida atque ardentia esse adprecando ostendemus, esse tamen libentissima adiecto dono patefacimus, id est calice sacrificali, quem extruendae destinamus ecclesiae, memoriae voluntatisque caussa. Auspicem divinorum munerum Nostraeque benevolentiae testem tibi, Dilecte Fili Noster, vobisque, Venerabiles Fratres, atque etiam fidelibus vigilantiae vestrae concreditis Apostolicam Benedictionem peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die XII Septembris anno  
MDCCCCV, Pontificatus Nostri tertio.

PIVS PP. X

## EPISTOLA

VENERABILIBVS FRATRIBVS  
EMMANVELI ARCHIEPISCOPO LIMANO  
CETERISQVE EPISCOPIS  
REIPVBЛИCAE PERVVIANAE

---

PIVS PP. X

VENERABILES FRATRES  
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

**M**agnopere Nos vestra vel in pastorali officio diligentia, vel sanctarum praescriptionum custodia, vel studiosa erga Iesu Christi Vicarium observantia delectat, confirmata a vobis proxime, quum una simul convenistis, ecclesiarum vestrarum causā, quumque, conventu habito, certiores Nos de rebus communiter actis per amantissimas litteras fecistis. Evidem persuasum habemus, hos Episcoporum conventus permagni esse momenti ad tuendum ac firmandum in quaque regione aut provincia Regnum Dei; conferendo enim inter se consilia Sacrorum Antistites, non modo fit, ut perspiciant melius suorum necessitates populorum, et, quae sint magis opportuna factu, statuant, sed etiam ut cohaerescant invicem coniunctius: quae coniunctio magnam addit singulorum contentioni efficacitatem. Quare legis instar sanctissimae illud servari velimus, quod est in Plenario Americae

Latinae Concilio praescriptum, ut exacto quoque triennio episcopales in singulis nationibus vestris habeantur coetus. Huic vos quidem praescriptioni obsecuti estis: neque est dubium, quin semper in posterum obsecuturi sitis diligenter. Nostis horum iniquitatem temporum, quantumque adhiberi studium oporteat, ut et disciplinae integritas apud Clerum in tuto sit, et fides moresque probi vigeant in populo, et ab impugnationibus omne genus, quibus obnoxia est, Ecclesia vindicetur. Ista vero vobis esse curae, consulta et decreta demonstrant conventus vestri: quem Nos, vobis aduentibus, iuvante Deo, salutares laturum fructus, qui expectantur, confidimus. Auspicem divinorum munerum ac testem effusae benevolentiae Nostrae vobis, Venerabiles Fratres, ac vestro cuiusque gregi Apostolicam Benedictionem peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die xxiv Septembris anno MDCCCV, Pontificatus Nostri tertio.

PIVS PP. X

## EPISTOLA

VENERABILI FRATRI

FRANCISCO

ARCHIEPISCOPO WESTMONASTERIENSIVM

WESTMONASTERIVM

PIVS PP. X

VENERABILIS FRATER,

SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

**N**ostram Pastoris Supremi vigilantiam illa non fugit  
gravissima omnium res, qua catholicorum ex Anglia  
sollicitudo exercetur in praesens, studium dicimus tuendae  
fovendaeque scholae, quae fidei ac professioni catholicae  
congruat. Est certe Cardinalibus Archiepiscopis Westmona-  
steriensibus tribuendum laudi quod fideles Angli, per postre-  
mos annos quinque et triginta, eam in rem ingenti cum  
conatu adlaboraverint ut catholicas scholas fortitudine summa  
defenderent, adserto in primis, oportere iuventutem institui  
religiose. Eiusmodi exempla decessorum te quoque esse pro-  
secutum libet equidem agnoscere; perspectum enim Nobis  
est ducem te fidi populo extitis in conferendis animose  
voluntatibus, quo citius votorum summam in disciplina scho-  
larum adipiscatur. Huius porro in patrocinio caussae per-  
suasum illud habemus non defutura vobis, vel a pluribus

qui catholice non sentiant, adiumenta probationis et gratiae; etsi enim non ea isti universa contendant, quae sunt flagitanda catholicis, est tamen plane exploratum consentire eosdem vobiscum de iuventute religiose instituenda. Quapropter ad hanc tantam promerendam laudem catholicos Anglos ex animo adhortamur, eosque maxime hortatione Nostra spectamus, qui scribendis sive libris sive diariis egregiam operam navant. Hi namque perutiliter ac benemerentissime fecerint si, rationibus cunctis posthabitatis, quae aut privatim intersint, aut dividant perniciose animos, suorum ductu Episcoporum in incepta defensione non perseverent modo, sed quotidie magis proficiant. Placet vero cum stimulo solatia iungere, quorum quidem labore curaque distentis opus certe compluribus est, iis praesertim e sacro clero, qui, mediis in populis sustentantes vitam, nullis neque e conatibus neque e molestiis se subducunt, si valeant catholicas scholas praestare incolumes: iis etiam e magistrorum magistrarumque numero, qui multa cum opera, atque incommodis non sine magnis, munere nobilissimo praecclare funguntur. Te denique sollerterem praesulem Collegasque singulos tuos grati animi testimonio honestamus, vobisque ac fidelibus universis uberem e coelo gratiam deprecantes, huius divini muneric auspicem ac Nostrae benevolentiae testem Apostolicam Benedictionem peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die xviii Octobris anno MCCCCV, Pontificatus Nostri tertio.

## EPISTOLA

DILECTO FILIO NOSTRO  
PATRITIO FRANCISCO TIT. S. SVSANNAE  
S. R. E. PRESBYTERO CARDINALI MORAN  
ARCHIEPISCOPO SYDNEYENSIVM  
AC PRAESIDI AVSTRALIENSIS SYNODI TERTIAE  
CETERISQVE VENERABILIBVS FRATRIBVS  
ARCHIEPISCOPIS ET EPISCOPIS AVSTRALIAE,  
SYDNEYVM

PIVS PP. X

DILECTE FILI NOSTER ET VENERABILES FRATRES,  
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

**E**llos vere prae se ferre sedulitatem Pastorum arbitramur, qui non modo suum quisque studium, sed communis quoque sollicitudinis opem in adiumentum gregis conferre cordi habent. Talis quidem administrandae ecclesiae sapientia, atque eiusmodi perficiendarum ardor ovium vestris certe insidebant in animis, quum, ad spiritualem populi profectum, tertiam habituri Australiae Synodum, Sydneyum convenerint. Vobis igitur vestrisque providentiae multae laboribus voluntate omni gratulamur. Fuit enim Nobis vehementer laetabile vestras intellexisse curas, tum in id pulcre collatas ut Australiae fideles, quod nobile praebuerunt adhuc pie-

tatis exemplum et fidei, impertire acatholicis constanter pergerent, tum illuc apte et utiliter adiectas, ut quae esse opportuniora viderentur provehendae fidei praesidia, ea perspicue paterent et communi actione adhiberentur. Quamobrem ardentissima ad Deum attollimus vota, ut quae isthic cum tam alacri diligentia Praesulum sunt incepta, eadem cum rore divinae gratiae perficiantur, conducatque celebratus coetus ad christiane instraurandam Australiam. — Auspicem caelestium gratiarum Nostraeque dilectionis testem, Apostolicam Benedictionem tibi, Dilecte Fili Noster, vobis, Venerabiles Fratres, creditisque cuique vestrum dioecesisibus, peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die xxix Octobris anno MDCCCCV, Pontificatus Nostri secundo.

PIVS PP. X

# LITTERAE APOSTOLICAE

QVIBVS

OPVS A PRAESERVATIONE FIDEI

PLVRIBVS IMPERTITIS GRATIS COMMENDATUR

PIVS PP. X

AD PERPETVAM REI MEMORIAM

pus a *Praeservatione Fidei*, optimo et peropportuno consilio Nostri decessoris incliti institutum, quam valde Nobis cordi sit, nihil attinet dicere. Etenim, quum eo pertineat, ut populum romanum praestet ab haereticae pravitatis contagione liberum, rem persequitur eiusmodi, quae vigilantiae studioque Pontificis Maximi proposita esse in primis debeat. Nequit similiter dubitari quin hoc ipsum provehere ac sospitare opus catholicos omnes deceat. Profecto, quisquis catholicum digne nomen gerit, commoveatur necesse est hoc maximo acerrimoque bello, quod adversum christianam sapientiam ideoque contra Pontificem Romanum, utpote summum traditae a Christo veritatis custodem, ardet. Iam hic de ipsa sacra potestate Pontificis agitur; quam quidem acatholicarum coniurati asseclae sectarum funditus evertere non dissimulanter contendunt. Iamvero nihil volunt studentve aliud Novatores, summe hi quidem inter se haeresum varietate discordes, in hoc autem uno coniunctissimi, ut Beati Petri Cathedram impugnent. Itaque iamdudum, Romae multo magis quam usquam alibi, postquam scilicet in Urbe catho-

lici orbis principe veritati et errori promiscua sunt publice attributa iura, nituntur, quibus valent opibus, pravisque omne genus artibus, imperitos praesertim egentesque capere: confisi, se posse aliquando in ipso Ecclesiae centro labefactare Pontificis auctoritatem, quo deinceps usquequaque facilius ipsa concidat. Utique haec sunt, Dei beneficio, vota peritura; siquidem *portae inferi* adversus Ecclesiam, quae in Petro et successoribus eius fundata est, sponsore Christo, *non praevalebunt*. Sed tamen haud frustra inimicorum Fidei est opera, quod ad perniciem spectat animarum. Quod si dolori Nobis est, quempiam a fide sancta deficere, multo est magis paene in conspectu Nostro id fieri, praesertim quia non sine gravi multorum offensione fit. Quotquot igitur cum proximorum salute honorem Ecclesiae communis omnium parentis diligunt, et Iesu Christi Vicarium colunt atque observant, consentaneum est velle Operi, de quo loquimur, adiumenti aliquid afferre. Evidem novimus in hac re neque studium, nec largitatem usque adhuc nostrorum defuisse; fructusque gratulamur extitisse his paucis annis non exiguos. Verum quia multum etiam conandum restat, ut par sit necessitati remedium, idcirco bonorum magis excitari atque inflammari studia intelligimus oportere; eiusque rei gratia caelestes Ecclesiae thesauros, quorum penes Nos dispensatio est, libentissime reseramus. — Itaque de Omnipotentis Dei misericordia, ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus et singulis fidelibus ex utroque sexu, qui tam frugifero pio Operi nomen suum dederint, die prima eorum adscriptionis vel alio quolibet die intra mensem proximum, ad cuiusque lubitum eligendo, si admissorum con-

fessione rite expiati, quovis in templo sive publico Oratorio ad sacram synaxim accedant, et addita salutatione angelica, quocumque idiomate, dummodo versio fidelis sit, piam hanc precem devote recitent: *O Maria Immaculata, vosque Apostolorum Principes in vera nos fide retinet: indulgentiam plenariam; ac tam inscriptis quam in posterum inscribendis eodem in pio Opere sociis, in cuiuslibet eorum mortis articulo, si vere poenitentes et confessi, ac sacra Communione refecti, vel saltem contriti, quatenus id agere nequierint, nomen Iesu ore, si potuerint, sin minus corde devote invocaverint, ac tanquam peccati stipendum mortem susceperint, etiam plenariam; tandem iisdem nunc et in posterum pariter ipsum in Opus rite adlectis sodalibus, qui item sacramentali admissionsorum confessione expiati atque angelorum pane refecti, quotannis, diebus: viii mensis Decembris, festo Immaculatae Conceptionis Deiparae Virginis, Operis patronae caelstis; xxix Iunii, festo SS. Apostolorum Petri et Pauli, item patronorum Operis; vi Ianuarii, in Epiphania Domini; xix Martii, festo S. Ioseph B. M. V. Sponsi; xxvi Maii, festo S. Philippi Nerii; ac xxix Septembris, quo festum agitur S. Michælis Archangeli, a primis Vesperis usque ad occasum solis dierum huiusmodi, et similiter in utroque festo septem dolorum B. M. V. ab ortu usque ad solis occasum dierum ipsorum, templum aliquod publicumve sacellum visitent, ibique pro christianorum principum concordia, haeresum extirpatione, peccatorum conversione ac Sanctae Matris Ecclesiae exaltatione ad Deum preces effundant, et orationem, de qua supra habita mentio est, ad veram fidem retinendam, salutatione angelica praemissa, recitent, quo ex praefatis die id agant, similiter plenariam*

admissorum omnium indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus. — Insuper iisdem sodalibus dicti pii Operis nunc et in posterum existentibus, quoties conventibus, aut communibus sodalitii, aut privatis Comitatus, interfuerint, dummodo contrito saltem corde ibi recitent supra memoratam precem cum salutatione angelica, de numero poenitentiale in forma Ecclesiae consueta septem annos totidemque quadragenas; quoties autem pro Fidei praeservatione aut eamdem precem cum salutatione angelica recitent, aut iuxta sodalitii tabulas pietatis quodvis sive caritatis opus exerceant, toties de poenitentiale similiter dierum numero in forma Ecclesiae solita trecentos expungimus. Porro largimur sociis ipsis, si malint, licere plenariis supradictis ac partialibus indulgentiis, excepta plenaria in mortis articulo lucranda, functionum vita labes poenasque expiare. — Sacerdotibus autem, qui eiusdem fuerint Operis nunc et in posterum participes, illud concedimus, ut quandocumque sacrosanctum Missae sacrificium pro animabus Christifidelium, quae Deo in caritate coniunctae ab hac luce migraverint, ad quodlibet altare celebrent, Missae sacrificium huiusmodi, ter tantum singulis hebdomadis, animae sive animabus pro qua vel quibus celebratum fuerit perinde suffragetur ac si foret ad privilegiatum altare peractum, dummodo tamen alio simili indulto non fruantur. — Sacerdotibus vero qui sint, vel in posterum erunt de sodalium *zelatorum* numero, haec quae infra scripta sunt privilegia tribuimus, modo tamen a suo quisque Ordinario, et bene de Opere meriti reapse habitи sint, et licentiam in scriptis acceperint, quae quidem si desit, horum privilegiorum concessionem nullam esse volumus. His igitur damus et concedimus:

I. Ut, si tamen sint ad sacramentales confessiones excipiendas rite approbati, possint ex ritu praescripto, privatum extra Urbem benedicere Cruces, Crucifixos, sancta Numismata, Coronas precatorias et parvas Domini Nostri Iesu Christi, Bñae Virginis Mariae, Sanctorumque ex metallo statuas, cum applicatione omnium et singularum indulgentiarum, quae in elenco, typis edito S. Congregationis de Propaganda fide die xxviii Augusti anno MDCCCPIII, continentur, et, quod ad coronas precatorias attinet, non excepta indulgentiarum applicatione, quae a S. Birgitta nomen habent.

II. Ut, si pariter sint confessarii ab Ordinario approbati, consueto ritu benedicere et fidelibus imponere possint scapularia Confraternitatum SSñae Trinitatis, B. M. V. de Monte Carmelo, Septem Dolorum, et Immaculatae Conceptionis eiusdem Virginis Deiparae, atque etiam scapulare Mariae Salutiferae, cum communicatione privilegiorum et indulgentiarum, quibus adscripti memoratis Sodalitatibus fruuntur et gaudent, dummodo vero scapularia confecta sint ad normam a Sancta Sede probatam, et iis tantum in locis, ubi non extent domus Ordinum Religiosorum, ad quos ex speciali concessione Sedis Apostolicae pertinet dicta scapularia benedicere et imponere.

III. Ut Christifidelibus, in mortis instantis discriminis versantibus, si vere poenitentes et confessi et S. Communione refecti, aut, si id facere nequierint, saltem contriti nomen Iesu ore, si potuerint, sin minus corde devoto invocaverint, et mortem tanquam peccati stipendum de manu Domini patienti animo susceperint, Benedictionem Apostolicam Nostro et Romani Pontificis pro tempore existentis

nomine et auctoritate, cum plenaria omnium peccatorum suorum indulgentia et remissione impertire possint, servatis tamen ritu et formula a f. r. Benedicto PP. XIV decessore Nostro praescriptis.

Haec ad incrementum saluberrimi Instituti valere posse confidimus, quod ipsum de Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, praesentium tenore, statuimus et declaramus esse in suo genere primarium. Propterea Dilectis Filiis Nostris S. R. E. Cardinalibus, qui Consilium seu Commissionem Operis constituunt, potestatem iam ipsis a Nobis attributam confirmamus similia ex toto orbe instituta eidem primario Operi, cum communicatione omnium Indulgentiarum et privilegiorum, quae sint communicabilia, aggregandi; servatis tamen forma Constitutionis Clementis PP. VIII Praedecessoris Nostri f. r., aliisque Apostolicis Ordinationibus desuper editis. Non obstantibus constitutione Apostolica de non concedendis Indulgentiis ad instar, aliisque contrariis quibuscumque. Praesentibus valituris in perpetuum. Volumus autem, ut harum litterarum transumptis, etiam impressis, manu alicuius Notarii publici subscriptis et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides habeatur quae Nostrae voluntatis significationi, praesentibus ostensis, haberetur.

Datum Romae apud S. Petrum, sub anulo Piscatoris die 1 Novembris, festo Sanctorum Omnis, anno MDCCCV, Pontificatus Nostri tertio.

Loco ✠ Sigilli.

A. CARD. MACCHI.

# ALLOCVTIO<sup>1</sup>

HABITA IN CONSISTORIO

DIE XIV NOVEMBREIS MDCCCCIV

—

VENERABILES FRATRES

**D**uplicem, nostis, ob causam amplissimum Collegium vestrum ad Nos convocavimus, ut de duobus Beatis viris in Sanctorum album rite referendis, simulque de novis creandis Episcopis hodierno die vobiscum ageremus. Utraque res cum sane magna, tum laeta atque iucunda: verum haud opportuna laetitiae sunt adiuncta temporum. Nam praeter calamitosissimum belli incendium, quo plures iam menses Orientis extrema flagrant, quod quidem Nos, qua sumus et esse debemus in homines universos caritate paterna, supplices obsecramus Deum ut restingui celeriter velit, propiora etiam quaedam sunt quae aegritudinem Nobis efficiant. Etenim a contemplanda christianarum excellentia virtutum divertere mentem cogimur ad ingentem hominum multitudinem, qui vix aliquam christiani nominis umbram retinent; quamque gestit Nobis animus, quod pastores bonos viduatris dare ecclesiis multis possumus, simul vehementer dolet,

<sup>1</sup> Haec allocutio actis anni superioris est adscribenda.

quod aliarum, nec ita paucarum, viduitati consulere iam nimium diu prohibemur.

Facile intelligitis nationem hoc loco spectari eam quae, quum sit inter catholicas nobilissima, tamen alienis a religione studiis multorum commovetur iamdudum et iactatur miserrime. Scilicet eo processit ibi malarum rerum audacia, ut e domiciliis disciplinarum aulisque iudiciorum simulacrum Eius, qui unus est Magister aeternusque hominum Iudex, exturbatum publice fuerit. In multis autem incommodis, quae ibidem Ecclesiam premunt, hoc in primis grave conquerimur, impedimenta omne genus inferri cooptationi Episcoporum; nisi quod graviora quoque agitari consilia videmus. Iamvero huius tantae offensionis idoneam causam frustra quaeras praeter illam, quam modo attigimus: nam quae in Apostolicam Sedem coniicitur criminatio, non ipsam in conditionibus pactis mansisse, ea quidem quantum ab honesto, tantum distat a vero. Hanc porro propulsare caluniae labem in conspectu vestro, Venerabiles Fratres, necessarium ducimus, antequam ad ea, quae proposita sunt, accedamus.

Nonnulla memoramus ignota nemini. Superiore ineunte saeculo, quum teterrima novarum rerum procella, quae in Galliam incubuerat, veteri disciplina civitatis eversa, avitam late religionem afflixisset, Decessor Noster inclytæ memoriae Pius VII et moderatores reipublicae, ille quidem salutis animarum divinaeque gloriae causâ sollicitus, hi vero ut stabilitatem rebus ex religione quaererent, icto inter se foedere, pactionem fecerunt, quae ad sarcienda Ecclesiae gallicae damna, eamque in posterum tutelâ legum muniendam pertineret. Ad pactum autem conventum accessere deinceps solo

civilis potestatis arbitrio *organici* qui vocantur *articuli*; at contra accessionem eiusmodi non modo Pius repugnavit recenti, sed qui consequuti sunt Romani Pontifices, oblata sibi opportunitate, praesertim quum eorum vis articulorum urgeretur, acerrime restiterunt. Idque iure optimo, si quidem harum natura legum consideretur: legum, iniquimus, non pactorum; quippe consensio Pontificum nulla unquam intercessit. Igitur hae leges nequaquam publicam securitatem spectant, de quo genere cautum erat in primo pactionis capite: *Cultus publicus erit, habita tamen ratione ordinationum, quoad politiam, quas Gubernium pro publica tranquillitate necessarias existimabit.* Neque enim est dubium, si leges *organicae* continerentur hoc genere, quin eas, memor obligatae fidei, receptura esset et servatura Ecclesia. Nunc vero legibus istis de disciplina atque de ipsa doctrina Ecclesiae statuitur; pugnantia conventis plura sanciuntur; abrogatisque magnam partem iis, quae in rei catholicae commodum pacta essent, ecclesiasticae potestatis iura vindicantur civili imperio: a quo proinde non tutela expectanda sit Ecclesiae, sed servitus. — At praestat ea, quae inter Apostolicam Sedem et rempublicam gallicanam convenerunt, partite perstringere.

Pertinent illa ad definiendas utriusque potestatis rationes mutuas. — Respublica quidem spondet Ecclesiae liberam religiosi cultus facultatem: *Religio Catholica, Apostolica, Romana libere in Gallia exercebitur.* Eadem munere officioque suo alienam declarat totam sacrarum iurisdictionem rerum: tantum in hoc genere rata firmaque vult decreta, quae *politiae*, idest publicae securitatis nomine, sanciverit. Iamvero quuna excipit ista, quorum non ita late campus

patet, eo ipso confirmat, nihil se posse in cetera; utpote quae, quum supernaturalem vitam Ecclesiae attingant, terminos longe excedant civilis auctoritatis. Manet ergo, ipsa agnoscente et probante republica, quidquid fidem moresque spectet, id omne in dominatu esse arbitrioque Ecclesiae; ipsius esse instituenda curare atque instituta tueri, quaecumque fidei morumque in catholicis sanctitatem conservent et foveant; ipsam propterea, nec nisi ipsam, posse populo eos praeficere, qui christiana principia et instituta vitae pro officio custodiant ac promoveant, administros sacrorum dicimus et in primis Episcopos.

Nihilominus in hac re, nempe concordiae facilius retinendae gratia, aliquid de severitate iuris sui remittit Ecclesia, facultatemque tribuit reipublicae eos nominandi, quibus episcopale mandetur munus. At vero facultas eiusmodi nequam valet aut valere idem potest, quod *institutio canonica*. Etenim assumere et collocare quempiam in sacrae dignitatis gradu, eique parem dignitati attribuere potestatem, ius est Ecclesiae ita proprium et peculiare, ut id cum civitate communicare, salva ratione divini muneris sui, non possit. Relinquitur ut concessa reipublicae nominatio nihil sibi velit aliud, nisi designare et sistere Apostolicae Sedi quem Pontifex, si quidem idoneum et ipse agnoverit, ad episcopatus honorem moveat. Neque enim ita nominatum canonica institutio necessario sequitur; sed ante religiose ponderanda personae sunt merita. Quae si forte obstent, quominus episcopatum Pontifex, pro conscientia officii, cuiquam conferat, nulla tamen lege cogi poterit rationum momenta patefacere, quare non conferendum putarit.

Ad haec, certas sollemnesque ad Deum preces Ecclesia pro summo magistratu civitatis adhibendas constituit; in quo amicam se civitati fore, qualiscumque demum huius fuerit temperatio publica, pollicetur.

Ista quidem pactum habet, de quo loquimur, in praesens et futurum statuta: quod vero ad praeteritum tempus, transactionem continet ultro citroque compositam. Versatur haec in bonis, Ecclesiae non multo ante detractis publice: quae bona Pontifex civitati condonat; civitas autem fidem dat, praebituram se Clero *sustentationem*, *quae cuiusque statum deceat*. Agitur hic, ut appareat, de veri nominis contractu, quo quum certa prestatio pro re certa stipulata sit, non est dubium, tametsi illa conventio foedusque resolvatur, tamen ius manere integrum Ecclesiae aut rem repetere aut iustum pro re praestationem exigere.

Exposuimus summa rerum capita, de quibus inter Galliam et Apostolicam Sedem, necessario maxime utriusque tempore, convenerit: quisque ex veritate res aestimat, iudex esto, utra conventis non steterit.

Num Ecclesia ius datum reipublicae nominandi Episcopos unquam retractavit? Immo vero candidatos, quos respublica proposuisset, partem longe maximam, canonice instituit. Quodsi factum quandoque est, ut aliquos non institueret, maximis semper gravissimisque de caussis, eisque extra genus politicum positis, factum est; quas causas non semel ipsi magistratus reipublicae deinceps cognitas probavere: nimirum ne religio, cui quidem Pontifex summam curam diligentiamque necessario debet, aliquid detrimenti caperet.

Iam de legibus, publicae tranquillitatis ratione perlatis, obscurum non est Ecclesiam, in exercendo sacrorum cultu, quod promiserat praestitisse: cuius ceteroqui illustris ea est et pervagata doctrina, Deum esse cuiusvis in homines potestatis fontem, ideoque civilium quoque iussa et vetita legum, si quidem iusta et cum communi bono coniuncta sint, sancte inviolateque esse servanda.

Nec minus aequam se fidamque impertit reipublicae Ecclesia, quaecumque usque adhuc extitit constitutio temperatioque civitatis. Semper enim iis qui praeerant, quum de statuta formula Deum precaretur, non caelestem modo, quod caput est, opem, sed etiam civium optimorum gratiam conciliare studuit.

Denique quam fideliter transactionem de facultatibus suis factam custodierit, vel ex hoc intelligi potest, quod nemo unus molestiam ab Ecclesia ullam unquam passus est ob eam causam, quod ipsius bona ad hastam publicam quaesita possideret.

Quaerere iam licet, utrum civitas pariter, quae sua essent ex foedere officia, impleverit.

Statutum principio est, catholicae religionis exercendae liberam in Gallia facultatem fore. — At suppetere libertatem istam hodie dixeris, quando ad Pontificem, summus qui est magister et custos catholici nominis, interdicitur Episcopis aditus atque etiam missio litterarum, insciâ Republica? Quando sacrorum Consiliorum, a quibus, Pontificis auctoritate et nomine, negotia Ecclesiae universae in Urbe Roma administrari notum est, spernuntur publice ac refutantur acta, quin immo ipsius actis Pontificis vix parcitur?

Quando id non dissimulanter agitur, ut nervi incidentur viresque religionis, detrahendis iis, quae, Dei providentis nutu, praesto sunt Ecclesiae utilissima ad suum fungendum munus adiumenta? Neque enim reputare, nisi magno cum angore, possumus religiosarum familiarum recentem cladem; quas quidem ad exterminandas finibus patriae haec una ratio valuit, avitae religionis in populo fautrices extitisse efficaces: non valuit ad retinendas, si minus ornandas ut oportebat, optimorum cogitatio meritorum, quae ab iis omni tempore essent in cives suos profecta. Ecquid tam contrarium iunctae cum Apostolica Sede amicitiae ac foederi, quam hac tanta iniuria et contumelia eos affectos esse, quibus nihil habet Ecclesia carius? — Quin etiam ad ceteras id genus molestias ingens nuper cumulus accessit. Etenim certum accepimus circumferri edictum, quo Sodales illustris cuiusdam familiae et quidem ratae legibus, ab ipsis dioecesium Seminariis, quibus magna cum salute sacri ordinis praeesse diu consueverunt, abire excedere iubentur. Huc scilicet evasit promissa religioni libertas, ut Episcopis iam non liceat, prout visum fuerit melius, institutioni prospicere sacrae iuventutis, iidemque in negotio tanti momenti ac ponderis cogantur adiutores ab se, quos semper experti sunt optimos, segregare.

Quamquam illud multo gravius est ministerio Apostolico innectum vinculum. — Ipsa rei natura clamat, quod diximus, institutionem canonicam, praesertim si ad summum ecclesiastici ordinis gradum danda sit, non posse, salva maiestate religionis, cadere in quemquam, nisi qui pro moribus, ingenio, doctrina dignus tam celso munere videatur. Hac obstrictus

sanctissima lege, Pontifex non omnes, quos respublica sibi designarit, continuo ad episcopatum promovendos putat; verum probe explorato qualis quisque sit, alios, quos repererit idoneos, assumit, alios, quos minus, relinquit scilicet: admonitamque de consilio suo rempublicam rogat, ut pro illis quidem legitime incepta perficere, his vero sufficere meliores velit. Huiusmodi consuetudinem Apostolica Sedes usque ad nostram memoriam tenuit sine offensione, quamdiu utriusque potestatis concordia stetit incolumnis. Quid autem dudum respublica? Negat ius esse Pontifici repudiare quemquam ex iis, quos ipsa nominavisset; nominatos recipi promiscue vult omnes; propterea obstinat non ante sinere eos, qui probati sint Ecclesiae, canonice institui, quam qui repulsam ab ipsa tulerint, iidem probationem ferant. Iamvero usque eo extendere vim nominandi, ut facultas, concessu Pontificis facta reipublicae, nativum et sacrosanctum Ecclesiae ius elidat perscrutandi utrum qui nominati sint, digni sint, hoc profecto non est interpretari pactum, sed subvertere: contendere autem, ut, si qui praetereantur, ne aliis quidem canonica institutio detur, huc recidit admodum, nulos velle posthac constitui Episcopos in Gallia.

Quod denique ad eam attinet conventionis partem, qua honestae clericorum sustentationi consultum est, num ipsam servat Respublica, quum Episcopis aliisque sacrorum administris, nulla habita quaestione aut iudicio, inauditis et indefensis, quod saepissime usuvenire nostis, legitimum victum, ad libidinem suam, detrahit? Atqui non foederis tantum hic lex, sed iustitiae perfringitur. Neque enim civitas in eo, quod istiusmodi alimenta ministrat, putanda est voluntate

gratificari Ecclesiae, verum portionem, nec ita magnam, debiti exsolvere.

Aegre induximus animum, Venerabiles Fratres, haec memoratu audituque tam tristia dicendo persequi. Nam moerorem, quem ex rebus Gallicis gravem patimur, etsi levari, communicando vobiscum, intelligebamus posse, maluissemus tamen silentio premere; etiam ob eam rem, ne tot pienissimis Ecclesiae filiis, quos in Gallia numeramus, aegritudinis morsum querimonia communis Parentis exacueret. Verumtamen iura sanctissima Ecclesiae improbe violata, ac dignitas praesertim Apostolicae Sedis alieno notata criminis, prorsus a Nobis expostulationem iniuriarum publicam requirabant. Idque praestitimus, nullo cum acerbitate sensu adversus quemquam, paterna certe cum voluntate erga gentem Gallicam; in qua quidem diligenda Nos, quod ceteroqui non potest esse dubium, Decessorum Nostrorum nulli concedimus.

Enimvero sperandum non est, fore ut institutarum contra Ecclesiam rerum cursus consistat. Quaedam his ipsis diebus eventa certissimum fecere indicium, eos qui ad gubernacula sedent Reipublicae, sic esse in rem catholicam animatos, ut ultima sint brevi metuenda. — Omnino, dum Sedis Apostolicae documenta non obscure loquuntur, professionem christiana sapientiae amice posse cum Reipublicae forma consistere, ii contra affirmare velle videntur, Rempublicam, quali nunc utitur Gallia, eiusmodi esse naturae, ut nullum habere possit cum christiana religione commercium: id quod dupliciter Gallos calumniouse petit, ut catholicos nimirum et cives. — At eveniant licet quantumvis aspera; nequaquam

Nos aut imparatos offendent aut pavidos, quos Christi Domini illa vox et hortatio confirmat: « *Si me persecuti sunt, et vos persequentur* »<sup>1</sup>. « *In mundo pressuram habebitis: sed confidite. ego vici mundum* »<sup>2</sup>. Interea tamen Nobiscum vos, Venerabiles Fratres, humilium instantia precum a Deo contendite, ut qui potest unus deducere unde velit et quo velit impellere hominum voluntates, auspice Virgine Immaculata, pacem tranquillitatemque Ecclesiae suae benignus matureret.

Sed iam ad laetiora convertamus animos. — Primum de duobus Beatis coelitibus ad Sanctorum honores evehendis vestram, Venerabiles Fratres, gratum est sciscitari sententiam. Nimium quantum, hac misera tempestate, Sanctorum suffragiis opus est! nimium . quantum exemplo magnarum virtutum! Spes igitur est ut duorum Beatorum nova in Sanctorum numerum cooptatio multum in utramque partem sit valitura. — Beati qui sint, iam nostis, Venerabiles Fratres: Alexander Sauli e Clericis Regularibus a Sancto Paulo, Episcopus primum Aleriae, dein Ticini; et Gerardus Maiella accensus e familia Alfonsiana; alter a Benedicto XIV, alter a Leone XIII inter coelites Beatos adscriptus. Horum Canonizationis causam cognosci Nos ac rite tractari iussimus. Quod autem nunc fieri operet, de eorum vita, moribus, rebus gestis, prodigiis ad Nos, audientibus vobis, referri hoc ipso in loco, pro more, volumus.

<sup>1</sup> Io. xv, 20.

<sup>2</sup> Io. xvi, 33.

*Sequitur relatio Eminentissimi Procuratoris. — Relatione peracta, Sanctissimus D. N. prosequitur:*

Quae vita, qui mores fuerint B. Alexandri Sauli, quo studio pro Dei gloria animisque lucrantis flagraverit, ut Corsicae Apostolus sit appellatus. ex iis quae sunt exposita, Venerabiles Fratres, cumatissime perspexistis. Quae vero de eodem ferebantur prodigia, diligentissimo iudicio sunt probata. PLACETNE igitur vobis ut ad Canonizationem eius solemnni Ecclesiae ritu deveniamus?

*Emi Cardinales sententiam proferunt. — Tum Emus Relator relationem instituit de B. Gerardo Maiella: qua absoluta, Sanctissimus D. N. prosequitur:*

Quae modo sunt a vobis audita testantur abunde singularem fuisse in B. Gerardo Maiella integritatem morum, amplissimamque omnigenae virtutis laudem. Prodigia vero accessisse a Deo, omnino constat. PLACETNE vobis ut ad eius Canonizationem solemnni ritu Ecclesiae deveniamus?

*Sententiis prolatis Sanctissimus D. N. concludit:*

Vestrar, Venerabiles Fratres. de proposito negotio sententias cognovisse placet.

Nunc vero, priusquam Episcoporum ordinem suppleamus, libet ad Armenios curas Nostras convertere. Cum enim in

patriarchatu Ciliciensi Armeniorum successor dandus esset venerabili fratri Paulo Petro XI Emmanuelian, qui in pace Christi decesserat die xviii Aprilis labentis anni, eius rei causa Constantinopolim Episcoporum Armenio ritu, ad legum praescripta, Synodus coacta est. Die quarto Augusti superioris, Patriarcham in demortui locum elegerunt venerabilem fratrem Paulum Sabbaghian, Episcopum Alexandriae Aegypti, qui Petrus pro more vocatus est, eo nomine duodecimus. De tota re qui convenerant Episcopi Nos docuere per litteras; rogantes insuper ut evectum ab ipsis ad patriarchalem dignitatem, confirmare Nos Apostolica auctoritate vellemus. Idem postulat simulque sacri Pallii honorem, supplici libello, Patriarcha electus, edita fidei catholicae professione ex forma Urbaniana, adiectis praeterea quae a Concilio Vaticano decreta sunt. Venerabilis fratrī Pauli Sabbaghian egregia in Sedem hanc Apostolicam voluntas et multarum ornamenta virtutum, collegarum Episcoporum testimonio abunde laudantur. Is iam episcopalia munera rite administravit; pietate, prudentia, iustitia ac modestia nec non largitate, gravibusque muneribus nitide gestis opinionem et amorem suaे gentis promeruit. His de causis, atque ex sententia sacri Consilii christiano nomini propagando Ecclesiarum negotiis orientalis ritus praepositi, tam eius quam Episcoporum precibus annuendum censuimus. Itaque auctoritate omnipotentis Dei, sanctorum Apostolorum Petri et Pauli et Nostra, confirmamus et approbamus electionem seu postulationem a venerabilibus fratribus Armeniis Ciliciae factam de persona praedicti Pauli Sabbaghian, quem absolvimus a vinculo, quo tenebatur, Ecclesiae Alexandrinae, ac transferi-

mus ad Patriarchalem Ecclesiam Ciliciae Armeniorum, praeficientes eum Patriarcham et Pastorem eidem Patriarchali Ecclesiae, prout in decreto et schedula consistorialibus exprimetur, contrariis quibuscumque non obstantibus. In nomine Patris **¶** et Filii **¶** et Spiritus **¶** Santi. Amen.

Restat ut ad Episcoporum cooptationem veniamus.

## EPISTOLA

VENERABILIBVS FRATRIBVS  
ARCHIEPISCOPO ET EPISCOPIS POLONIAE  
QVAE RVSSICO IMPERIO PARET

PIVS PP. X

VENERABILES FRATRES  
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

**P**oloniae populum qua late patet, etsi genere, sermone ac religioso ritu varium, quam intimo Nos, quam paterno caritatis studio amplectamur, neminem in vobis arbitramur esse qui ignoret. Nam, brevi quidem, sed tamen toto Nostro Pontificatus tempore, nullam elabi sivimus opportunitatem, qua id luculentissime demonstraremus. Praeterquam enim quod Polonum quemlibet admissione Nostra facilitate summa donavimus, mementote quae Nostra fuerit laetitia, quae exsultatio animi quum, anno superiore, pia ex vobis fidelium agmina excepimus, quae ad salutandos Nos peregre venerunt. Quam suavibus illos tunc verbis affati fuimus, quam paterna dilectione plenis! Quae etiam, nuper, iucunditas Nos hilaravit, quum lectissimam e scholis vestris iuventam spectare coram atque alloqui datum est!

Utile, cur genti vestrae tantopere faveamus, Nobis non deest caussa; immo vero suppetit maxima. Memoriam enim praeteritarum aetatum si quis cogitando repetat, nullam fere a Poloniae laude vacuam offendet: cuius profecto constantiae ac fortitudini debetur uni, si hostium christiani nominis impetus, religioni ac civili Europae cultui minitantium, fracti tandem sunt ac propulsati. Manet maioribus vestris perpetuo haec laus, quod pectorum suorum praesidia, catholicis sacris tutandis, generose opposuerint; unde factum, ut catholici ac poloni nomen elapsis tempestatibus promiscue sit habitum. — Haec autem patrum exempla apud nepotes, qui nunc sunt, vigere adhuc integra ac renovari. Nos plane confidimus: ita ut quae fuit illorum. eadem sit modo vestra in apostolicam Sedem fides et observantia. valeatque simul necessitudo illa, qua gens polona cum Petri Cathedra arctissime semper coniuncta fuit.

Verum, quia difficillimum tempus sic postulat, animum modo ac sermonem ad eos singulariter e Poloniae civibus convertendum ducimus, qui vobis, Venerabiles Fratres, subiecti sunt ac Russico parent imperio. Quem enim afflictia, qua nunc illi utuntur, fortuna non moveat? Nos quidem maxime movet, qui eos in numero filiorum carissimorum collocandos putamus. Ad vos igitur has litteras conscribimus, ut, interpretibus vobis, Nostri mens animi fidelibus singulis pateat; cunctisque, vestra opera atque hortatione, dicto, ut par est, audientibus, pax tandem illa et concordia pariatur, quam optimi quique inter vos, studiis omnibus, sed ad hanc diem irritis, sunt prosequuti.

Cui quidem concordiae bono suadendo impetrandoque duo maxime conducere arbitramur, si secum quisque reputet quae

quantaque sint mala. quibus gens vestra hac tempestate premitur; quae quantaque officia. quibus, ad illa minuenda atque avertenda. Episcopi pariter ac fideles omnes gravissime teneantur.

Nam, ut de malis dicamus. singula ea quidem persequi longius est quam praesens patitur institutum. Graviora autem ac ceterarum fere miseriarum fons atque origo, factio-nes illae sunt turbulentissimorum hominum, quae nullibi non videntur. quaeque iuribus ac legibus evertendis natae, eo plane, suadendo, coniurando audendoque, incumbunt ut plebem, percusam terroribus, occupent. illamque, immani civilis consuetudinis damno, in nefaria quaeque corripiant. — His accedit, atque in eodem genere, natio illorum qui, caritatem patriae, sed non sapientem, perpetuo venditantes, *radicalismi*, uti vocant, *nationalis* assetatores se profitentur. Quibus nimirum propositum est civiles animorum perturbationes ciere ac nutrire; quare commota plebs et obcaecata eo saepe excedit violentiae ac furoris, unde Poloniae vestrae, nihil tale meritae, retro fertur conditio atque afflictior in dies evenit. — Haec autem inter, turbis quidem faventibus atque impunitatem audiendi praebentibus, pessimi quique, quibus divina humanaque miscere fas ac decorum videtur, immania faciunt flagitia, quae vel barbare nationes horruerint; qualia, nuper, ut aliquid indicemus, publicae fuerunt iudeorum caedes. quas equidem Evangelii lex, quae omnes promiscue diligendos iubet, detestatur ac reprobatur. — Iamvero, dum talia ac tanta, fidenter nimium, scelestorum audacia meditatur et patrat, quae vis, quae actio, ad illam comprehendam exeritur? Certe bonorum copiae ex maiore, immo-

vero maxima, polonae gentis parte conflantur. At arma, aegritudine quadam, quae meliorum rerum exspectationem extinguit, posuisse videntur; et querelis contentae, nihil fere agitant ulterius, quod sit efficax malorum tantorum remedium. — Evidenter querelae vestrae iustae sunt: quibus Nos et querelas Nostras et lacrimas ex animo adiicimus. Querelarum tamen nullam esse utilitatem sciatis, si non, foedere inito, quotquot Imperio Russico Poloni parent, animum viresque omnes serio intendant, ut quae. perturbatorum ausu, sive religiosae rei sive civilis aut socialis detimenta fecerunt, sarciant. — Veterem Poloniae fidem, Venerabiles Fratres, susceptosque pro religione sancta labores dum Nobiscum recolimus, eversamque vestram, quae modo est, condicionem consideramus, generosa verba sponte succurrunt, quibus Mathatias moriens alloquebatur filios: *Nunc confortata est superbia, et castigatio, et tempus eversionis, et ira indignationis: nunc ergo, o filii, aemulatores estote legis, et date animas vestras pro testamento patrum vestrorum, et mementote operum patrum. que fecerunt in generationibus suis: et accipietis gloriam magnam et nomen aeternum* <sup>1</sup>.

Huic tamem hortationi Nostrae ut secundi accedant exitus, videndum vobis est diligenter, quibus vos uti oporteat ad ea, quae proposita sunt, adiumentis. Ea vero Nos non aliunde repetimus, quam ex officiis, quibus quisque vestrum obstringitur. — Illud autem est caput, ut quam poloni ab avis et proavis catholicae religionis professionem, Deo dante, tenent, hanc semper pro merito aestiment rebusque ceteris

<sup>1</sup> I Machab. II, 49 ss.

omnibus anteponant. Quam profecto sic servent necesse est, ut non verbo solum aut lingua, sed opere et veritate impleant. — Exigit autem sanctissima Christi religio ut perturbationibus animi nunquam sinamus nos abripi, sed illas, contra. mens moderetur sana cogatque imperio subesse. Quamobrem catholici quotquot sunt, a studiis partium abhorreant. quae latae a Deo legi aduersentur. Nec plane a culpa eos eximit. quod humanis id agant utilitatibus. Rursus namque catholica doctrina nos admonet, aeternorum bonorum quaestus fluxis quibusque huius temporis emolumentis debere anteferri. secundum Domini verba: *Quid enim prodest homini. si mundum universum lucretur, animae vero suae detrimentum patiatur?*<sup>1</sup>

Quo quasi fundamento posito, alterum sequitur: inter motus mutationesque, quibus modo Russicum Imperium turbatur, simulque ea pars Poloniae quae eidem paret Imperio, debere catholicos homines a pace atque ordine stare constanter. Qua in re meminisse omnes iuverit, quae, die xix mensis Martii MDCCCLXXXIV, Leo XIII, Decessor Noster felicis recordationis, ad vos scribebat: « Qui vero sint sub potestate, « debere constanter reverentiam et fidem servare principiis. tamquam Deo regnum per hominem exercenti, eisdem obtemperare, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam<sup>2</sup>, pro ipsis adhibere obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones<sup>3</sup>: debere sanctam custodire disciplinam civitatis: ab improborum machinationibus

<sup>1</sup> Matth. xvi, 26.

<sup>2</sup> I Rom. xiii, 5.

<sup>3</sup> Tim. ii, 1-2.

« sectisque abstinere, nec quidquam facere seditiose: omnia  
« conferre ad tranquillam in iustitia pacem tenendam ».

Hanc autem tranquillitatem pacis ut catholici non solum  
adament votisque contendant, sed etiam, ut officium est.  
actuose maturent partamque tutentur incolunem, necesse  
ipsis omnino est ut turbulentorum civium sequuti morem,  
in sodalitates coetusque coëant, ubi coniunctis consilio atque  
opera, pro religione ac patria viriliter dimicent. Illud autem  
eiusmodi consociationibus propositum esse in primis debet,  
ut cessationes operum ex condicto, quae modo sunt frequen-  
tissimae cum immani communis boni iactura, omnino prohi-  
beantur: eae autem ut tollantur penitus, levandis opificum  
ac proletariorum necessitatibus tum animi tum corporis, ex  
veritate studeant. Quo in genere, laudabilis equidem est  
oratio, quam, superiore iunio mense exeunte, Venerabilis  
Frater Archiepiscopus Varsaviensis ad dominos operariosque  
habuit. Hortationem eius perinde ac Nostram ut Poloni omnes  
accipient alacriter, optamus et obsecramus. Videant universi,  
ne quid patria ulterius detrimenti capiat. Quod ut ne fiat,  
nemo sit vestrum qui, ex praescripto Christi Servatoris, iusti-  
tiam et caritatem colendo tuendoque, civitatis conditionibus  
in melius provehendis diligentissime non adlaboret.

Unum vero est, quod singulari animadversione catholico-  
rum dignum censemus. Cum namque optimi utilesque civitati  
homines non aliter creentur, quam si rite probeque a pueris  
erudiantur, commune omnibus officium est, quatenus legibus  
concedatur, eniti et contendere, ut catholicis adolescentibus  
eiusmodi pateant gymnasia, ubi de catholicis institutis et  
moribus praeceptio sit ac disciplina. Qua in re, Venerabiles

Fratres. diligentiam vestram, quam equidem cognitam perspectamque habemus. excitare iterum placet. Vobis namque, aequo ac parentibus, christiana puerorum eruditionis procurrandae onus officii est impositum. — Hic vero, quoniam in scholarum mentionem incidimus, abstinere non possumus ab admonendis graviter adolescentibus. qui studiis dant operam, ne. civilibus de causis. a ludis celebrandis ex condicto cesserent. Multa enim nec levia. quod Venerabilis Frater Archiepiscopus Varsaviensis iam attigit egregie, ex eiusmodi cessationibus tum privatum tum publice damna derivantur.

Haec tamen omnia. quae huc usque exposuimus, effectu ne careant, restat, Venerabiles Fratres, quod vestrum demum est. ut omni studio omnique contentione ad adolescentem cleruni rite informandum adiiciatis animum. Salus enim populi maxima ex parte a sacerdote pendet. Nunc autem, quoniam infesta adeo sunt tempora. sacerdotibus opus est, qui doctrina sana vitaeque sanctimonia praecellant, eaque animi generositate et constantia sint praediti, qua, carni et sanguini non acquiescentes, omnia contemnere, omnia perpeti pro Christo sint parati.

Postremo, antequam scribendi finem faciamus, placet potentissimi Imperatoris vestri, cuius exploratum in Nos amicitiae animum habemus, sapientiam clementiamque publice laudare, quod edicto xxx die superioris mensis Aprilis dato, de conscientiae libertate subiectos sibi populos securos fecerit. — Qui quidem concessus, unde cunctorum animi sunt recreati, quum edicto altero diei xxx Octobris confirmatus fuerit atque amplificatus, oportet vos. Venerabiles Fratres, omni ope atque industria iuvare illos qui, sua sponte et voluntate,

ad catholica sacra transire malint. Non politica res in his agitur, sed tantum aeterna animorum salus. Est igitur episcoporum ius atque officium normas praescribere, quibus utatur clerus in admittendis ad sacra nostra, qui libere id velint. Has normas, Venerabiles Fratres, ut collatis consiliis concordique sententia decernatis volumus; ita quidem ut in universis dioecesibus una atque eadem vigeat agendi ratio. Crescente autem fidelium multitudine, mittet prefecto Dominus operarios in messem suam. Interim vero dilectos filios, sacerdotes dioecesum vestrarum, hortamur, ne duplicitum forte laborem fastidiant, illius memores sententiae, omnium divinorum divinissimum cooperari Deo in salutem animarum.

Ceterum monemus omnes ut tributa modo civilia iura modeste ac diligenter exsequantur. eo videlicet spectantes unice ut parens Imperio Russico Polonia secundioribus semper conditionibus utatur. Quod sane ut obveniat, partes Nostras, utpote Patris Poloniae vestrae amantissimi, apud potentissimum Imperatorem nunquam desiderabitis.

Munerum divinorum auspicem et singularis Nostrae caritatis testem, Apostolicam Benedictionem vobis, Venerabiles Fratres, et cleris populisque vestris amantissime in Domino impertimus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die III Decembris anno MDCCCV, Pontificatus Nostri tertio.

## LITTERAE APOSTOLICAE

QVIBVS

LEGES ARCHISODALITATIS DOCTRINAE CHRISTIANAE  
CONGRVENTER TEMPORIBVS CORRIGVNTVR

—

PIVS PP. X

AD PERPETVAM REI MEMORIAM

**E**n Litteris nostris Encyclicis « *Acerbo nimis* », quas de Christiana Doctrina tradenda ad universos Sacrorum Antistites hoc anno dedimus, cum alia praescripta sunt, tum illud, ut « *in omnibus et singulis paroecis Consociatio canonice instituatur, cui vulgo nomen Congregatio Doctrinae Christianae* ». Consociationum id genus cum Archisodalitas a Paulo V Decessore Nostro instituta in Urbe princeps et caput sit, peculiarem quamdam in hac locare curam opportune intelligimus. Itaque comperto disciplinam temperationemque, qua uteretur Archisodalitas iam non adiunctis novis rerum ita congruere, Constitutiones ipsius veteres corrigere et reformatre Nobis visum est, easque sic reformatas, quemadmodum infra scriptae sunt, ratas haberi et ab omnibus, ad quos pertinet, religiose servari volumus et iubemus. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris,  
die v Decembris anno MDCCCV, Pontificatus Nostri tertio.

ALOIS. CARD. MACCHI.

## CONSTITUTIONES

VEN. ARCHISODALITATIS DOCTRINAE CHRISTIANAE

A PONTIFICE PAVLO V S. M.

CANONICE IN VRBE CONSTITVTAE ANNO MDCVII,

A SS. D. N. PIO PP. X

REFORMATAE ET APPROBATAE

—

### TITVLVS I.

#### DE FINE ET NATVRA ARCHISODALITATIS.

I. — Praepositus Archisodalitatis finis est religiosam christianaem plebis institutionem provehere ac moderari per catechesis praceptionem.

II. — Sedes est Archisodalitatis in Urbe.

III. — Archisodalitas est proxime obnoxia auctoritati Cardinalis vice sacra Urbis Antistitis pro tempore utpote personam gerentis Pontificis Maximi.

IV. — Ad Sodalitium, natura ipsa rei, pertinent omnes Parochi Urbis.

Ipsis potentibus possunt praeterea eiusdem Sodalitii Societatem inire quotquot sibi constituant catechesis disciplinae favere eamque expeditiorem efficere opera sua vel pecunia.

V. — Archisodalitas regitur a Congregatione, quae constat solis delegatis ecclesiasticis viris, praeside vices gerente Cardinalis in Urbe Vicarii.

Ad id munus delegati eligi non possunt, nisi ecclesiastici viri ad ipsam Archisodalitatem pertinentes.

## TITVLVS II.

### DE CONGREGATIONE.

VI. — Congregatio constat Praeside, Sacerdotibus octo e clero romano et Parochis octo, quorum quatuor e clero saeculari, quatuor e regulari.

VII. — Eadem Congregatio pro maiore numero tacitorum suffragiorum nominat Pro-praesidem, a secretis, curatorem pecuniae seu Camerlingum, tabularii praefectum, rationum exactores duos seu Syndicos, qui omnes ex eorum numero eligendi erunt, qui ad ipsam Congregationem pertinent.

VIII. — Munera et officia exercentur non ultra triennium, nec proxima electio in eosdem cadere potest.

IX. — Exacto triennio, dimidia pars Congregationis alterna vice renovatur; hoc est sufficiuntur e clero romano novi Sacerdotes quatuor, Parochi totidem, quorum duo e clero saeculari, e regulari duo.

X. — Ad memorata munia novi eliguntur pro maiore numero suffragiorum, quae ab ipsa Congregatione occulta feruntur super numero virorum sexdecim a Praeside proponendorum, quo in numero comprehenduntur octo qui de officio decedunt.

XI. — Congregatio semel in mense habet ordinarios coetus. Integrum tamen est Praesidi extraordinarios cogere, si opportunum duxerit, vel si saltem quatuor Congregationis delegati scripto petierint.

XII. — Ad ratos legitimosque coetus habendos adstare necessario debent saltem duodecim socii cum Praeside.

In secunda convocatione, quae saltem tridui spatio a prima distabit, ratus legitimusque coetus erit, quovis numero adstantium.

XIII. Ut rata et probata sint quae in coetu proponuntur, maior suffragiorum numerus requiritur. Paribus suffragiis Praesidi ius esto alterius ferendi suffragii.

XIV. — Quidquid consilii sive de viris sive de officiis alicui deferendis erit ineundum, id ne decernatur nisi tacitis suffragiis.

XV. — Dies coetibus habendis resque ad deliberandum proposita scripto significabuntur per Scribam, qui est a secretis, ab eoque triduo ante constitutum tempus diribebuntur.

XVI. — Unicuique Congregationis Delegato quaestiones propoenendi ius esto, quas tamen agitare non ante licebit, quam inscriptae fuerint elenco rerum exutiendarum.

Urgente necessitate, de qua iudicium feret Congregatio, poterit non interposita mora de propositis rebus deliberari.

XVII. — Qui ter non intermissa vice coetus non adierit nec se de absentia purgaverit, recessisse censebitur, eiusque loco sufficietur alius.

Absentiac causa rata debet haberi a Congregatione.

### TITVLVS III.

#### DE ACTIONE ARCHISODALITATIS.

XVIII. — Archisodalitas auspicio ductuque suo proposito sibi fini prospicit, curando ut scholae catechesis constituantur, piae habeantur conciones, excitetur aemulatio per certamina ad praemia, et per alia quae pro temporis ratione visa fuerint opportuna.

XIX. — Praeter scholas catechesis a Parochis constitutas sub eorumque disciplina directas haud poterit alia ulla constitui nisi adsentiente Parocho loci et approbante Archisodalitate.

Ad hanc autem iudicium pertinet de illorum peritia, qui ad huiusmodi magisterium proponuntur.

XX. — Ad unam eamdemque docendi viam disciplinamque tuendam Archisodalitas pleno iure pollet advigilandi scholis catecheseos etiam privatis.

Haec vigilantia ab Archisodalitate exercebitur per Parochos ac delegatos suae quosque Curiae assignandos. Advigilandi vero munus

implebitur menstruis visitationibus atque inspectionibus, quarum scripta documenta ad Archisodalitatem bimestria deferentur.

XXI. — Ad normam num. XIX nemini e populo licebit magisterium catechesis assumere, nisi diploma fuerit ab Archisodalitate consecutus.

XXII. — Diploma remittitur facto speciali periculo iuxta normas certa lege constitutas.

XXIII. — Ad efficacius consequenda superius praescripta et ad propositum finem facilius assequendum lex ab Archisodalitate proponet vim habitura postquam Cardinali vice sacra Urbis Antistiti fuerit probata.

## TITVLVS IV.

### DE ADMINISTRATIONE.

XXIV. — Congregatio per curatorem pecuniae seu *Camerlingum* una cum rationum exactoribus seu *Syndicis* providebit administrationi proventuum genus omne, quos habere sibi poterit.

## TITVLVS V.

### DE IIS QUAE INTER ARCHISODALITATEM ET PAROECIAS VRBIS INTERCEDVNT.

XXV. — In unaquaque Urbis paroecia constituitur Sodalitas Doctrinae Christianae ad normam Epistolae Encycliae « *Acerbo nimis* » diei xv mensis Aprilis MCMV, quasi sectio Archisodalitatis. Sodalitates parochiales habebunt Consilium dirigens, cui praeerit Parochus. Idem Consilium constabit duodecim Sodalibus, quorum quatuor sacri ordinis viri, e populo viri quatuor, totidemque mulieres.

Hic vero numerus aut augeri poterit aut minui pro pecularibus cuiusque paroeciae conditionibus.

XXVI. — Excepto primo e quatuor ecclesiasticis viris, qui ab Archisodalitate dabitur tamquam ipsius Delegatus, ceteri omnes a suis quisque Parochis proponentur cum approbatione Praesidis Archisodalitatis.

XXVII. — Consilium dirigens Sodalitatum parochialium semel in bimestri spatio apud Parochum rite congregabitur, ut proponat agitetur si quae utiliora visa fuerint ad maius frequentiae et profectus incrementum.

Crebrius etiam iidem poterunt haberi coetus, si vel Parochus vel Archisodalitatis Delegatus id opportunum iudicaverint.

## TITVLVS VI.

### DE IVRE AGGREGANDI.

XXVIII. — Archisodalitati ius est constitutas ubivis per catholicum terrarum orbem Doctrinae Christianae Sodalitates aggregandi easque admittendi ad communionem indulgentiarum, bonorum spiritualium, ac privilegiorum, quibus directa concessione ipsa fruitur.

XXIX. — Ut Sodalitas aggregari possit necessario requiritur: 1.<sup>o</sup> ut eadem canonice fuerit constituta Decreto Ordinarii loci: 2.<sup>o</sup> ut ad Archisodalitatem deferatur una cum supplici libello authenticum exemplar Decreti, quo fuit constituta Sodalitas, atque Ordinarii commendaticiae litterae.

XXX. — In qualibet dioecesi eam Doctrinae Christianae Sodalitatem aggregari Archisodalitati Romanae satis erit quam Sodalitatem Ordinarius statuerit esse centrum ceterarum eiusdem generis: hac enim aggregata, simul aggregatae censemuntur aliae omnes Sodalitates, quae aut constitutae iam, aut deinceps constituendae sint in eadem dioecesi.

## LITTERAE DECRETALES

QVIBVS

BEATO ALEXANDRO SAVLI

SANCTORVM CAELITVM HONORES DECERNVNTVR<sup>1</sup>

—

## PIVS EPISCOPVS

## SERVVS SERVORVM DEI

AD PERPETVAM REI MEMORIAM

alamitosis hisce temporibus, quibus Ecclesiae Dei hostes totis viribus nituntur christianos greges obsequio et obedientiae pastorum a Christo constitutorum subducere, eosque ad mortifera pascua impellere, per opportunum accidit ut Beatus Alexander Sauli in Sanctorum numerum adscribatur, qui se totum, cunctasque animi et corporis facultates in commissi sibi gregis utilitatem contulit, quemque vivum mortuumque grex fidelium maximo amore et obsequio complexus est. Spei enim locus est, ut, tam illustri exemplo proposito, inter christianos pastores ac greges vincula magis magisque coarctentur; et ad mutua implenda munera, cum

<sup>1</sup> Decretales hae litterae, itemque quae sequuntur, etsi tertio idus decembres a. MDCCCVI videntur datae, re tamen vera non ante medium consequentem annum conditae sunt et subscriptae.

magno christiana reipublicae emolumento, utrique incitentur. Nam et discent Praesules, hac de causa populo christiano se esse praepositos, ut spirituali eius bono nihil antiquius habeant, et ad illud assequendum nulos labores, nulla discrimina subire detrectent; et plebes discent, pastoribus a Christo constitutis arctissime adhaerescere, eos diligere, dictoque corum in omnibus audientes esse.

Mediolani natus est Beatus Alexander, xv calendas martias anno MDXXXIV, ex genuensibus parentibus nobilibus piisque, Dominico Sauli et Thomasia Spinola. Latinas graecasque litteras, historiam ac philosophiam domi didicit, deinde in papiensi athenaeo iurisprudentiam. In his studiis acrioris ingenii adolescentis magni fuerunt processus: maiores tamen pietatis eius atque electissimarum virtutum. Cumque ad perfectiorem vitam a Deo se appellari sentiret, perpetuam ei castitatem vovit, matureque petiit, ut inter nuper Mediolani institutos Barnabitas sodales reciperetur.

Sacras eorum vestes induit anno MDLI, et post trienne tirocinium, quo nesus est virtutum perfectionem adipisci, religiosa vota nuncupavit: cumque biennium in sacris studiis consumpsisset, anno MDLVI sacerdos inauguratus, eo fervore iisque lacrimis sacrum primum celebravit, ut adstantium animos maximo opere commoverit. Delatum sacri concionatoris munus, cum eximia sacrarum disciplinarum prudentia, salutisque animarum impenso studio obivit: ita praeclaros percepit fructus, multorumque christifidelium mores emendavit.

Papiam anno MDLVII missus, omnes suas vires contulit ad concionandum, recipiendas confessiones, pueros rudesque

docendos, aegrotantes invisendos, morientibus assidendum, obeunda nosocomia et carceres, adiuvandos adolescentes, qui in papiensi athenaeo studiis vacabant. In eo Barnabitarum collegio docuit philosophiam, et theologiam: facultas vero theologiae non doctorem modo eum renunciavit, sed in suum quoque collegium ultro recepit. Sed Papiensis Episcopus, doctrinam eius, caritatem, humilitatem miratus, in visitationibus pastoralibus sibi eum assumpsit socium, eum examinatorem prosynodalem elegit, negotiumque commisit, ut ad docendum clerum sermones morales haberet.

Verum, cum anno MDLXVII Barnabite patres Mediolanum convenissent, quo supremum sibi moderatorem constituerent, hoc munus in Beatum Alexandrum, quamvis invitum, sed omnium dignissimum, contulerunt. Eo magis ille summa contentione conatus est, virtutum omnium sodalibus eximia exempla praebere, seque perinde despicere, ac si illorum omnium esset famulus statutus. Igitur, ad eorum commoda persequenda, se totum mancipabat, spiritualia tamen temporibus praeponens; quod tum maxime eluxit, cum S. Carolus Borromaeus, Mediolanensis Archiepiscopus, ad *Humiliatos* sodales, qui ditissimi erant, corrigendos, consilium agitabat, eos cum pauperibus Barnabitis in unum corpus commiscendi. Nam vehementer restitit Beatus Alexander, cuius opera et consiliis S. Antistes utebatur, veritus ne maius Barnabite detrimentum, quam emolumentum Humiliati ex tali permixtione recepturi forent.

Tres ferme annos Barnabitis sodalibus praefuit, quibus nullum in Mediolanensium christifidelium bonum suscipere laborem recusavit. Tunc Decessor Noster S. Pius V animo

constituit renuntiare eum Episcopum Aleriensem: cuius dioecesis, imo totius Corsicae insulae, miserrima erat conditio. Nam rerum ad religionem spectantium summa oblivio: sacrae aedes derelictae, et in profanos usus versae: sacerdotes desidiosi, rudes, dissoluti: nulli per annum festi dies, nulla ieiunia, nulla sacramentorum frequentia. Ad occurrentum tantis malis, peropportuna Pontifici visa sunt eximia Beati Alexandri caritas et alacre studium. Statim vero ut consilium huiusmodi Mediolani innotuit, totis viribus reluctati sunt Barnabite, ne tam praeclarum magistrum amitterent; nec minori contentione reluctabatur ipse Alexander, episcopali se indignum munere putans. Ut vero certam expertus est Pontificis Romani voluntatem, se demisse subiecit; et iv idus martias anno MDLXX in aede metropolitana mediolanensi a S. Carolo Episcopus est consecratus.

Ad Corsicam cum applicuisset, Aleriam se contulit: ibi vero praeter arcem, nihil invenit, quod urbis vel oppidi simile esset. Cogebatur itaque huc illuc episcopalem sedem, prout opportunitas vel necessitas ferebat, transferre; cumque in universa dioecesi nullus esset manendi locus, adactus fuit aliquod tempus extra dioecesim Bastiae (haec princeps insulae urbs erat) manere, ut seminario, iuxta leges Tridentinae Synodi instituendo, sedulam operam navaret. In ea horrida vastaque dioecesi per sacram visitationem obeunda, incredibile est quanti ei labores essent tolerandi. Iter explebat quotidie duodecim vel quindecim passuum millium, equo aliquando vectus, saepius pedibus, per impeditas semitas, ut dissitas casas ac segregata tuguria adiret: non enim continentia oppida fere occurrabant. Nec cibus in his domun-

culis praesto erat, nec vinum ad reficiendas vires, nec quiescendi vel manendi locus. Hos labores alacri ipse animo tolerabat, ut pasceret dilectas oves, aiens Deo serviendum esse ubi, quaque ipse ratione sibi praestari operam velit; ac Pauli repetens verba: *Sive enim vivimus, Domino vivimus, sive morimur, Domino morimur.*

Maiores etiam ei subeundi fuerunt labores in Balagna provincia, quam disciplinae reluctantem expertus, ad eam ipse se contulit, et quatuor ibi annos mansit. Exemplo ac verbis sacerdotes excitabat, ut sacris muneribus alaeriter fungerentur: pastorales obiens visitationes, aegros adibat, saera-menta ministrabat: pauperes, miseros, calamitosos potiores habens, eis erat pecuniae, eis curae, eis benevolentiae largissimus. In tam asperis laboribus sustinendis, quartana febri, cum virium magna imbecillitate, correptus est; adeoque morbus invaluit, ut Beatus Vir sancto Viatico fuerit munitus. Morbo tandem superato, ad deiectas vires recuperandas, coactus est Corsicam relinquere, et aliquot menses Mediolani manere.

Ad dioecesim reversus, fere biennium moratus est in oppido *Corte*, in media insula sito, ubi potissimum partes vigebant rubeorum ac nigrorum, in quas Corsi dividebantur. Ad eas sedandas, ipsi magnopere adlaborandum fuit, atque eximia caritas et fortitudo adhibenda: non enim dubitabat inter armatos pugnantesque se interponere, furentiumque ictibus corpus suum obiicere, ut quavis ratione illos ad pacem ac fraternalm caritatem reduceret.

Ratus tamen id sibi esse consulendum, ut Episcopi Alerienses stabili quadam sede potirentur, oppidum *Cervione*,

quod viginti millia passum Aleria distat, ad hoc elegit, eoque, anno MDLXXVIII, se contulit. Aedificavit ibi cathedrale templum, seminarium, Episcopi et canonicorum aedes; et corruens templum coenobiumque sodalium Franciscalium instauravit. Ad novam episcopalem sedem firmius stabiendum cum Romam profectus esset, nuntiatum est in itinere malas tempestates Corsicae ita agros vastasse ut nulla iam spes messis superesset. Statim itinere intermisso, Cervionem reversus est, magna vi commeatum Genuae Labroneque comparata; quibus tanta prudentia dioecesis pauperes aluit, ut nulli eorum, quae necessaria ad vitam agendam essent, unquam defuissent.

Eamdem erga oves caritatem exhibuit, proximo anno MDLXXX, quo Corsica pestilentia vexata est. Nam et precipibus bonisque operibus Deum placari curavit; et sapientes normas praescripsit ad morbi diffusionem praecavendam; et lue correptis diu ac noctu adfuit, animas eorum et corpora iuvans. Quidam quoque eorum narrantur, Beati Episcopi benedictione, ad sanitatem fuisse revocati.

Non raro enim, praesertim trepidis in rebus, ministrum omnipotentiae suaे Deus fidelem Servum fecit. Qui aut futura providebat, aut revelabat occulta, aut ingruentes tempestates discutiebat, aut aegrotantes sanabat, aut e caelo eliciebat pluviam, qua sitientes agri recrearentur.

Ita Beatus Alexander, *animam suam dans pro ovibus suis*, Aleriensem dioecesim rexit, usque ad annum MDXCI, quo Gregorius XIV Decessor Noster eum ad sedem Papiensem transferre constituit. Ingens inde et Corsorum dolor, qui dilectissimum pastorem erant amissuri, et ipsius Alexandri,

qui oves, quas unum et viginti annos tanto studio paverat, relinquere cogebatur. Ergo Romam perrexit: sed frustra nisus est hanc translationem avertere. Quare, ut honores fugeret, qui singulares ei in urbe habebantur, Papiam iter suscepit.

Quamquam maiores etiam honores ei a Papiensibus parabantur, non oblitis eximiarum eius virtutum, quas viginti annos iampridem experti fuerant. Itaque inter laetas omnium ordinum significationes et acclamationes, xiv calendas novembres anno MDXCI Papiam ingressus, ad vineam Domini excolendam, omnes animi et corporis vires intendit. In valedicentiis versabatur et catechesis christiana scholis, iam dudum a se institutis; nec ipsum fastidiebat docere pueros, et virtutum germina in tenellos animos infundere. Populum, a profanis solatiis abstractum, ad SS. Eucharistiam adorandum cogebat, et incredibili quodam fervore apud eum concionabatur. Divitibus exemplo hortationibusque auctor erat ut opibus suis pauperum indigentiam sublevarent.

In navanda Deo opera nullos labores recusans, absoluta in civitate sacra visitatione, ad eam persequendam, dioecesim peragrare coepit. Cumque pridie calendas octobres anno MDXII ad oppidum *Calotium* advenisset, sequentem diem consumpsit concionans, docens catechesim, confirmationem ministrans, visitans sacram aedem et altaria, atque omnes ad se admittens, quotquot eum alloqui petebant. Proxima nocte articulorum doloribus febrique ita correptus est, ut mane e lectulo surgere non valuerit. Ne parocho loci gravis esset, passus tunc est deferri domum Herculis a Robore, Calotii comitis, cuius hospitium initio detrectaverat. Febris

diebus insequentibus invaluit, additusque, cum acribus doloribus, totius corporis tumor. Haec hilari vultu tranquilloque animo tolerabat, submissa voce saepe aiens: *Quis me liberabit de corpore mortis huius?*

Vitae totius peccatis patri Rottoli Barnabitae confessis, instantibus precibus SS. Viaticum petiit, quod allatum ad eum est v idus octobres, frequenti populo comitante: hoc vero ut introire in cubiculum vidit, quamquam fractis erat viribus, de Sacramenti illius excellentia dimidiam horam loquutus, flagranti caritate illud suscepit. Rogantibus de valetudine, respondebat: *Exspecto donec veniat immutatio mea.* Postridie sacro oleo inunctus est: actisque Deo gratiis, quod in extrema hora mentem retineret, precibus animae commendationis respondit: tum a patre Rottoli petiit, ut ex S. Ioannis evangelio Iesu Christi passionem legeret. Id ille aliquandiu praestitit: deinde eum immotum conspiciens, iamque mortuum arbitratus, substitit. At Beatus Vir subito excitatus petiit, cur legere supersedisset, addens: Oh quantam haec intermissio mihi eripuit voluptatem! Instanter rogatus, ut rem patefaceret: Scilicet dignatus est Dominus, inquit, caelesti visu mihi felicitatem ostendere, qua electi eius fruuntur. Perge sane, perge legere. Igitur, eo legente, levatis oculis in caelum, et leni ducto spirario, animam placide reddidit Deo, agens aetatis annum octavum et quinquagesimum.

Tam sancti Viri amissionem universa dioecesis deflevit. Sed Calotium tanti fuerunt hominum concursus, ut non domus modo, sed oppidi ipsius claudendae fuerint portae, quo multitudine paullatim ingredetur appetentium pedes manusque

Beati Episcopi osculari , piasque res ad venerabile corpus admovere. Nec absimilis populi frequentia postridie fuit ad parochiale templum , cum funus eius celebraretur. Deinde per Tanarum, Padum Ticinumque sacrum corpus deductum Papiam: cumque ibi, *xvi* calendas novembres, solemnes exequiae eius conficerentur, tanta populi multitudo se ad fere-trum urgebat, ut impetus eius, positis custodibus, coērcen-dus fuerit. Tandem, ex eius iussu, in eodem templo humo corpus datum est, ante gradus , quibus ad presbyterium ascenditur.

Sepulcro Beati Episcopi multus honos habitus est. Cum-que, piis turbis currentibus, prodigia facta fuerint, loricula, venerationis causa, circumseptum est, ad quam tabulae voti-vae et oblationes appendebantur. Hanc vero venerationem, quae Sedis Apostolicae nulla venia nitebatur, tolerandam non esse Ioannes Baptista Billia Episcopus ratus, cum nulla via tollere eam potuisset, Romam rem detulit. De ea igitur Cardinalis Bellarminus, qui Sacrorum Rituum Congregationi praeerat, certiore redditum Paulum V, Decessorem Nostrum, qui censuit tam sancti Viri publicum cultum non esse omnino abolendum. Ita populi pietati libera via patefacta est; et, ne editis quidem urbanianis decretis, hac de re quidquam est immutatum , nisi postquam causa beatificationis inita est. Quare et Calotii et Papiae et in Corsica Beatus Alexander publice colebatur. Neque a rudibus tantum hominibus, sed a doctis et prudentibus et sanctis quoque in Sanctorum numero habebatur.

Verumtamen Barnabiteae sodales, pro pietate, quam erga eum fovebant, atque observantia, qua Romanam Sedem pro-

sequebantur, ea facultate de Beato Alexandro colendo, quam Paulus V concesserat, non contenti, exoptabant, ut Pontifex Romanus solemniori quadam ratione huius cultus auctor fieret. Petierunt itaque, ut beatificationis et canonizationis eius causa apud Sacrorum Rituum Congregationem institueretur. Preces eorum benigne exceptit Decessor Noster f. r. Gregorius XV, qui, anno MDCCXXXIII, xv calendas apriles commissionem introductionis huius causae manu sua signavit. Quamobrem de virtutibus Beati Alexandri Apostolica auctoritate quaesitum est: diu tamen deinde sustentata est haec causa: donec Clemens XIII, anno MDCCXXXII, die Natali Domini Nostri, edidit decretum, quo sanciebat: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate, nec non de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Fortitudine et Temperantia Servi Dei Alexandri Sauli earumque adnexis in gradu heroico in casu et ad effectum, de quo agitur.*

Benedictus XIV, qui in Pontificatu Romano Clementem XII excepit, quiue Beatum Alexandrum singulari pietate colebat, miracula approbavit, quae requirebantur, ut ille in Beatorum numerum referretur: cumque in quaestionum tabulis multa prodigia narrarentur, decreto solemniter edito, viii calendas februarias anno MDCCXLI, *ex propositis miraculis, duo in tertio genere approbavit, nimirum sextum, fratris Laurentii Mariae Obez, laici professi praefatae Congregationis, septuagenarii, qui cum ex febri maligna et pustulis animam iam ageret, superposito Ven. Episcopi rocheto, statim sanatus est, die 31 augusti 1674; et decimum, Caroli Bertol, militis sexagenarii, qui, ut letali pro febre, rocheti eiusdem impositione depulsa, gratias ageret, ad Venerabilis Episcopi sepulcrum in*

*sella gestatoria delatus, ac super lapidem stratus, a sexennali etiam crurum debilitate liberatus, repente surgens, domum suis pedibus rediit, die 12 decembris 1678.* Idem Pontifex, v idus aprilis eodem anno, decretiv, tuto procedi posse ad beatificationem Venerabilis Alexandri Sauli, quae paucis post diebus, ix calendas maias anno MDCCXLII, ad S. Petri penes Vaticanum montem, solemni ritu celebrata est.

Nova tamen cum miracula supervenissent idem f. r. De-cessor Noster, ix calendas augustas anno MDCCXLIII, commis-sionem resumptionis causae sua manu signavit. Quae tamen diu deinceps conticuit quum ob temporum calamitatem, tum quod sodales Barnabitarum sollicitudinem praecipuam contule-runt, ut Antonio Mariae Zaccaria Patri legifero Sanctorum honores compararent. Postquam hic, anno MDCCXCVII inter Sanctos feliciter adscriptus est, ad causam Beati Sauli eo maiore alacritate est redditum, quod, augescente christifide-lium pietate, nova recentius prodigia evenerant. Quare ab actoribus duo miracula selecta sunt, ad assequendam Beati Viri canonizationem, alterum quidem ex veteribus promptum, alterum ex recentioribus.

Primo miraculo valetudinem Modoetiae recuperavit Car-rolus Riva, qui altero iam anno inferiorum membrorum et motu et sensu amisso, neque ambulandi, neque exercendi sarcinatris artem retinebat potestatem, atque eleemosynis sustentare vitam cogebatur. Cumque, iulio mense exeunte, atque ineunte augusto anno MDCCXLII, Barnabitarum patres, in honorem novensilis Beati Sauli, in templo S. Mariae a Carro-biolo in triduum solemnia concelebrarent, Carolus ad templi portas, ut stipem quaeritaret, a filio est carrulo vectus, ibique

cum esset, a novo Beato sanitatem imploravit, petiitque ut reliquiis eius ipsi benediceretur. Simul ac ei est benedictum, sensu ac motu temporis vestigio recuperato, e carrulo surrexit, et per longum iter domum pedibus rediit, neque amplius, donec vixit, paralysi laboravit.

Alterum miraculum factum est anno MDCCCXCIX, XIV calendas apriles, in oppido Cervione Corsicae insulae, in quo iam dudum Beatus Alexander sedem episcopalem fixerat. Hoc miraculo sanitati restituta est Maria Canessa, misera quaedam puella, quae, tenuem infirmumque corporis habitum sortita, aetatis anno septimo, correpta est vehementibus crurum doloribus, deinde tumefactionibus, postremo, non in cruribus tantum, sed in reliquo etiam corpore ulceribus vulneribusque, ex quibus tabes saniesque diffuebat. Ita, saevis excruciatia doloribus, viribus destituta, macie confecta, leetulo ut plurimum affixa, ad primum vicesimumque aetatis annum pervenit, nulla spe affulgente recuperandae sanitatis. Eo res pervenerat, ut, quae ad eam sepeliendam erant necessaria, iam essent comparata: cum conscientiae moderator eam hortatus est, ut, quod nequiret ab hominibus accipere, per novendiales preces a Deo deprecationibusque Beati Sauli fidenter peteret. Cum dicto audiens illa fuisse, sexto precum die, rediisse sibi vires sentiens, surrexit iam valens, et ambulavit. Nam vulnera coaluerant, cruciatus omnes evanuerant, nec in posterum de pristino morbo quidquam reverti visum est.

De hisce duobus miraculis triplici, iuxta morem, disceptatione habita, Nos xv calendas maii huius anni solemni-

ter ediximus: *Constare de duobus miraculis: de primo: Instantaneae perfectaeque sanationis Caroli Riva a diurna et gravi paraplegia, e mielite chronica transversa exorta: de altero: Instantaneae perfectaeque sanationis Mariae Canessa a gravi et diurna affectione struma-tuberculare.* Deinde, iv calendas iunias, iterum decrevimus: *Tuto procedi posse ad solemnem Beati Alexandri Sauli canonizationem.*

His praemissis constitutisque, ut in solemnissima caeremonia cuncta servarentur, quae ab Antecessoribus nostris, ad celebritatem eius ac decus, sunt sapienter praescripta, primum omnes S. R. E. Cardinales, xviii calendas decembres hoc anno, sententiam quemque suam prolatus, Nobis in Consistorio iussimus adesse; qui, dilecto filio Dominico Pucci Sisti, Consistorialis aulae Advocato, de gestis Beati Alexandri Sauli dicente, auditio, Nos uno ore ad causae huius legitimam definitionem sunt cohortati. Interea vero curaravimus, ut non viciniores modo Episcopi, sed et remotissimi quique, de tanta solemnitate, per litteras a sacra Concilii Congregatione ad hoc datas, admonerentur, quo si facultas esset, sententiam et ipsi prolaturi, Nobis adstarent. Qui ex dissitis regionibus cum non pauci convenissent, mature causa cognita, tum ex illis, quae eo usque gesta fuerant, praesertim in publico Consistorio coram Nobis habito, tum ex actis Sacrae Rituum Congregationis, quorum exemplar singulis traditum est, in Consistorio semipublico, nonis deeembribus coram Nobis habito, in eamdem, quam dilecti Filii Nostri S. R. E. Cardinales, sententiam iverunt, cuius rei instrumenta publica a dilectis filiis Sedis Apostolicae

Notariis confecta, in tabularium Sacrae Rituum Congregationis delata sunt.

Solemni igitur Canonizationi celebrandae diem praefinivimus III idus decembres: atque interea, communi indicto ieiunio, fideles sumus vehementer cohortati, ut ferventes ingeminarent preces, in iis praesertim sacris aedibus, in quibus SS. Sacramentum publice adorandum ex praescripto proponeretur, ut et ipsi ex tanta caeremonia fructus uberiores perciperent, Nobisque, in tam gravi officii nostri munere, Spiritus Sanctus benignius adesset.

Auspicatissima et optatissima dies quum advenisset, omnes quum saecularis, tum regularis cleri Ordines, omnes Curiae Romanae Praesules et Officiales, omnes denique, qui in Urbe aderant, venerabiles Fratres Nostri S. R. E. Cardinales, Patriarchae, Primates, Archiepiscopi, Episcopi, Abbates in Vaticanam Basilicam magnifico cultu ornatam convenerunt: Nosque, iis omnibus solemni supplicatione praeeuntibus, eamdem ingressi sumus. Tunc vero dilectus Filius Noster Cardinalis Aloisius Triepi Sacrae Rituum Congregationis Pro-Praefectus, Canonizationi huic procurandae praepositus, perorante dilecto Filio Octavio Pio Conti, Consistorialis Aulae Advocato, vota Nobis et preces detulit sacerorum Antistitum universaeque familiae Clericorum Regularium S. Pauli Barnabitarum, ut Beatum Alexandrum Sauli, una cum Beato Gerardo Maiella, in Sanctorum numerum referremus. Id cum iterum tertioque idem Cardinalis Aloisius Triepi idemque Nostrae Consistorialis Aulae Advocatus instantius et instanssime egissent, Nos caelesti lumine ferventer implorato,

« Ad honorem Sanctae et Individuae Trinitatis, ad catholicae fidei incrementum et decus, autoritate Domini Nostri Iesu Christi, Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli ac Nostra, matura deliberatione, et voto Venerabilium Fratrum Nostorum S. R. E. Cardinalium, nec non Patriarcharum, Primatum, Archiepiscoporum et Episcoporum consilio, praedictum Beatum Alexandrum Sauli et Clericis Regularibus S. Pauli, Episcopum Aleriensem, ut deinde Papiensem, Sanctum Confessorem esse ediximus ». Eique, eodem decreto, sociavimus B. Gerardum Maiella, virtutum omnium laude et gloria miraculorum praeclarum. Memoriam porro S. Alexandri Sauli, quotannis die v idus octobres recolendam, in Martyrologio Romano notari mandavimus, et christifidelibus, qui exuvias eius eo die venerati fuerint, indulgentiam septem annorum totidemque quadragenarum perpetuo concessimus. Denique, ob tantum beneficium, gratias Deo Optimo Maximo ex animo egimus, et solemne Sacrum litavimus. Post Evangelii lectio-  
nem, clerum ac populum homilia alloquuti sumus, hortati, ut, non modo Apostolorum Principes, sed etiam Sanctos novensiles, spei et caritatis pleni, sibi, Ecclesiae, universae hominum societati propitios mererentur. Postremo cunctis adstantibus plenariam peccatorum indulgentiam amantissime impertiti sumus.

Nunc vero omnium christifidelium oculi in novensilem Sanctum convertantur, qui cum, in lustranda per sacram visitationem dioecesi, morte se deprehendi consiperet, gratias Deo egit, quod, inter pastoralia munera obeunda, sibi e vita mortali cedere contigeret. Oh beatum Virum! qui, aegra voluntate auctus episcopatu, non est ratus, se aliis esse

potiorem factum, imo omnium famulatui addictum esse atque mancipatum. Numquam enim Christi Domini oblitus est verba: *Qui maior est in vobis, fiat sicut minor, et qui praecessor est, sicut ministrator*<sup>1</sup>; nec unquam oculos a Christi exemplo avertit, qui de se ipse dixit: *Ego autem in medio vestrum sum, sicut qui ministrat*<sup>2</sup>. Quibus igitur non est potestas collata, S. Alexandri Sauli exempla imitantes, eam non exoptent, animo reputantes, plus in ea oneris esse, quam honoris, atque satius esse obedire, quam imperare. Qui vero potestate potiuntur, tam eximio exemplo et ipsi edocti, perpetuo recogitent, non in suam, sed in subditorum utilitatem sibi esse eam datam, ut omnes cognoscant et diligent Iesum Christum Dominum Nostrum, eique fideliter serviant.

Omnibus itaque, quae erant inspicienda, rite perpensis, certa ex scientia, et Apostolicae Auctoritatis Nostrae plenitudine, cuncta et singula praedicta confirmamus, roboramus, atque iterum statuimus, decernimus, universaeque Catholicae Ecclesiae denunciamus: mandantes ut praesentium litterarum transumptis etiam impressis, manu tamen alicuius Notarii Apostolici subscriptis, et sigillo viri in ecclesiastica dignitate constituti munitis, eadem prorsus fides habeatur, quae hisce nostris praesentibus haberetur, si exhibitae vel ostensae forent.

Si quis vero paginam hanc Nostrae definitionis, mandati, relaxationis et voluntatis infringere aut attentare praesumpserit, vel ei ausu temerario contraire, indignationem

<sup>1</sup> Luc. xxii, 26.

<sup>2</sup> Ibid. 27.

Omnipotentis Dei et Sanctorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum, Anno ab Incarnatione Dominica Millesimo Nongentesimo Quarto, III Idus decembres, Pontificatus Nostri anno secundo.

✠ Ego PIVS CATHOLICAE ECCLESIAE EPISCOPVS.



- † Ego A. Episcopus Ostien. et Veltin. Card. Oreglia a S. Stephano  
S. R. E. Camerarius S. C. Decanus.
- † Ego S. Episcopus Portuen. et S. Rufinae Card. Vannutelli Maior  
Poenitentiarius.
- † Ego A. Episcopus Albanen. Card. Agliardi S. R. E. Vice-Cancel-  
larius.
- † Ego V. Episcopus Praenestinus Card. Vannutelli.
- † Ego F. Episcopus Tusculanus Card. Satolli.
- † Ego M. Tituli S. Caeciliae Presbyt. Card. Rampolla.
- † Ego A. tit. S. Laurentii in Lucina Presbyt. Card. Di Pietro.
- † Ego Fr. H. M. Ord. Carmel. excalc. tit. S. Mariae de Scala Presbyt.  
Card. Gotti.
- † Ego D. tit. S. Priscae Presbyt. Card. Ferrata.
- † Ego S. tit. S. Mariae supra Minervam Presbyt. Card. Cretoni.
- † Ego J. B. tit. S. Mariae de Victoria Presbyt. Card. Casali Del Drago.

- † Ego F. de Paula tit. S. Chrysogoni Presbyt. Card. Cassetta.  
† Ego A. tit. S. Marcellini et Petri Presbyt. Card. Sanminiatelli.  
† Ego F. D. tit. S. Sabinae Presbyt. Card. Mathieu.  
† Ego P. tit. Ss. IV Coronatorum Presbyt. Card. Respighi.  
† Ego S. tit. S. Augustini Presbyt. Card. Martinelli.  
† Ego C. tit. S. Marcelli Presbyt. Card. Gènnari.  
† Ego C. tit. S. Calisti Presbyt. Card. Nocella.  
† Ego B. tit. S. Mariae in Ara-Coeli Presbyt. Card. Cavicchioni.  
† Ego E. tit. S. Bernardi ad Thermas Presbyt. Card. Taliani.  
† Ego R. tit. S. Praxedis Presbyt. Card. Merry del Val.
- † Ego A. S. Mariae in Via Lata Protodiaconus Card. Macchi.  
† Ego A. Soc. Ies. S. Agathae ad Subur. Diac. Card. Steinhuber.  
† Ego F. S. Mariae in Porticu Diac. Card. Segna.  
† Ego R. Ord. Praedic. SS. Cosmae et Damiani Diac. Card. Pierotti.  
† Ego F. Sal. S. Mariae in Aquiro Diac. Card. Della Volpe.  
† Ego J. C. Ord. Capulat. S. Hadriani Diac. Card. Vives y Tuto.  
† Ego A. S. Mariae in Domnica Diac. Card. Tripepi.  
† Ego F. S. Mariae ad Martyres Diac. Card. Cavagnis.

A. CARD. DI PIETRO PRO-DAT. — A. CARD. MACCHI

VISA

DE CVRIA I. DE AQVILA E VICECOMITIBVS

*Loco  Plumbi*

*Reg. in Secret. Brevium*

V. CVENONIVS

# LITTERAE DECRETALES

QVIBVS

BEATO GERARDO MAIELLA

LAICO PROFESSO CONGREGATIONIS SANCTISSIMI REDEMPTORIS

SANCTORVM HONORES DECERNVNTVR

—

PIVS EPISCOPVS

SERVVS SERVORVM DEI

AD PERPETVAM REI MEMORIAM

**H**aud tenui perfundimur animi laetitia, quod, pro supremo munere Nobis, licet indignis, collato, Beatum Gerardum Maiella in Sanctorum numerum referre, eumdemque ut eximium exemplum Christifidelibus universis imitandum propnere, Nobis contingat. Eum equidem despexit mundus, et fatuum arbitratus est: non item vero Deus, qui pridem dixerat: *Beati pauperes, quia vestrum est regnum Dei*<sup>1</sup>; *Deus, qui in altis habitat et humilia respicit in caelo et in terra, suscitant a terra inopem, et de stercore erigens pauperem, ut collocet eum cum principibus, cum principibus populi sui*<sup>2</sup>; Deus itaque hunc Servum suum plurimi fecit; et per eum, quem

<sup>1</sup> Luc. vi, 20.

<sup>2</sup> Ps. cxii, 5-7.

adhuc viventem, tum vita iam functum, omnipotentiam suam saepius exseruit, ut fideles homines memoriam eius colerent, et eius virtutes imitarentur. Etenim *quae stulta sunt mundi elegit Deus, ut confundat sapientes; et infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia; et ignobilia mundi et contemptibilia elegit Deus, et ea quae non sunt, ut ea quae sunt destrueret*<sup>1</sup>.

Tenui loco natus est Gerardus, ix kalendas maias anno MDCCXXVI, Muri, quae est urbs Lucanorum, ex Dominico Maiella et Benedicta Galella coniugibus. Qui curaverunt eum baptismatis aquis lustrari, ac pro sua pietate eum sancte instituerunt. Ille, parentum sedulitati, et gratiae divinae, quae eum mature occupabat, impulsionibus volenti animo respondens, puerilibus iocis et cupiditatibus abstinebat, precibus frequentem dabat operam, et cum aequalibus sacros ritus imitabatur. Puerilis animi candorem sibi acceptum esse Deus prodigiis manifestabat. Cum enim ille templum B. Virginis dicatum, ad alterum Muro lapidem, petebat, Iesus infans Matris brachiis relictis, ad eum accedebat, atque cum eo puerili more ludebat. Et quando sacro aderat, postquam sacerdos hostiam consecraverat, puerum Iesum inter eius manus videbat, ipsumque ab eo frangi, ipsum comedì.

Adoloscens factus, addictus fuit a matre vestiariae cuidam officinae, ut artem sarcinatoris addisceret. Ipse simul, in eius tabernae angulis, precibus incumbebat, aut inde egrediebatur, ut in templo interesset sacro: hac de causa, a praecipuo operario odio habebatur, direque vapulabat: quas vexationes aequo animo, Christi amore, sustinebat. Cumque sarcinato-

<sup>1</sup> I Cor. 1, 27, 28.

riam artem didicisset, eam, iam patre amisso, exercebat, et ex perceptis lucris nihil fere sibi reservans, iis matrem sustentabat, stipem erogabat pauperibus, piacularia sacra, ad animas admissa expiantes recreandas, confici curabat. Quem cum consumptis lacerisque vestibus indutum patruus, qui erat pater Capulatus, conspexisset, novas ei emit: at ipse paulo post pauperi homini eas donavit, aiens illum, se magis, eis indigere.

Frequens erat in sacramentis excipiendis; quotidie intererat sacro: coram SS. Eucharistia noctes integras pervigilabat; nec raro, in commentandis divinis rebus, extra sensus rapiebatur: fidei christianaee elementa adolescentes docebat. Singularem erga B. Virginem pietatem exhibuit, quo die simulacrum eius sacra supplicatione circumferendum erat: accessit enim ipse, et digito eius annulo inducto, obtestatus est cives, quod eam sibi spoponderat.

Verum, cum vitam religiosam inire exoptaret, petiit, ut in Capulatorum sodalitium adscriberetur: nec tamen, propter insignem maciem, ab eis exceptus est. Quamobrem instituit asperrimam, et a consortio hominum segregem vitam ducere. In deserto loco, ciliciis et afflictationibus corpus macerans, radicibus atque amaris herbis vescebatur: neque inde egrediebatur, nisi ut Sacraenta exciperet. Hanc tamen eremiticam vivendi rationem deinde reliquit, ut conscientiae rectoris iussui obtemperaret. Nec vero contemptuum amor dolorumque est imminutus, quibus Christi effici similis exoptabat. Gaudebat enim, quum eum ut fatuum pueri sequebantur, aut in eum spuebant, et lapidibus petebant; ac genam caedenti alteram humiliter obiiciebat; imo amicos iubebat, ut ipsum cae-

derent flagellis, vel capite inverso suspenderent, ac subiicerent fumum, vel pedibus ligatum per saxa rupesque pertraherent.

Septem ac decem annos natus, Beatus Gerardus aggressus est famulari Episcopo Laquedoniae, cuius pervagatam morositatem patienti animo toleravit. In ea urbe reconciliandae cum Deo gratiae cuidam sacerdoti, qui sacris sacrilege operabatur, auctor fuit, intimo conscientiae statu ei palam facto. Narratur etiam, cum aquam haurienti clavis episcopalnis diaetae in puteum concidisset, simulacrum Iesu pueri in puteum demisisse, illudque manu clavem gerentem inde retraxisse. Quare post haec puteus ille a Gerardo nomen invenit. Post tres famulatus annos, Episcopus Laquedoniensis obiit, quem ex animo Gerardus deflevit, et Murum est reversus.

Murum cum advenissent non ita pridem a S. Alfonso instituti sodales a SS. Redemptore, sacras, more suo, obeuntes expeditiones, Gerardus illis in omnibus praesto fuit, petiitque ut inter eos recipereetur. Attamen tunc etiam obstaculo erat corporis gracilis et extenuatio: mater quoque Gerardi consilio totis viribus reluctabatur, eoque die, quo illi Muro profecti sunt, filium domi clausum secum detinuit. Ipse vero, cum facta nox esset, linteis suspensus, demisit se per fenestram, et per alpestrem atque asperam duodecim millium passuum viam eos assequutus, preces iteravit, velint sui experimentum facere, dimittantque, nisi idoneum invenerint. His efflagitationibus litteras obtinuit, ad praepositum collegii Iliceti: quibus arreptis, pedestri duorum dierum itinere, eo laetus pervenit.

Ibi religionis vota anno MDCLII nuncupavit, omnibusque viribus, ad virtutum perfectionem assequendam, animum

intendit. In gravioribus quibusque laboribus, praesto erat sodalibus; cumque noctu illi quieti, ipse ante SS. Sacramentum orationi vacabat. Cibi ac potus severa abstinentia erat, asperrimisque macerationibus corpus afflictabat: simul mira supra naturam dona illi impertiebat Deus. Cum ulcerosum cuiusdam crus ore suo suxisset, homo e vestigio sanatus est. Cum Ilicetani collegii praepositus quatuordecim milibus passuum longe abesset Iliceto, apud Melphitanum Episcopum, ex illo intervallo Gerardum iussit, ut eo veniret. Venit revera: miratusque Episcopus tantum virum viginti saltem dies secus retinere voluit, ut consiliis eius uteretur. Sed afflictionum cruciatuumque, quibus Christo Domino similis fieret, inexplebile hominis desiderium. Ipse enim homines, quos ad bonam frugem revocaverat, tertio vel quarto quoque die, ad solitarium locum secum ductos, iubebat, ut ipsum flagellis aspere caederent, manibus scopulo alligatis; spineam deinde coronam imponerent capiti, baculoque premerent; tandem, ex duabus tignis cruce composita, ipsum illi affigerent.

Inimicitias hominum conciliare ac tollere missus est. Castri Grandinis cum adolescens esset imperfectus, pater eius, ab uxore potissimum inflammatus, inhiabat occisionem ulcisci. Gerardus, eo accitus, furentium coniugum domum accurrit, coram eis in genua se provolvit, et Christi cruci affixi e sinu educta imagine, et humi deposita, clamabat eam concularent, antequam ad sanguinem caedesque currerent. Quibus vocibus illi commoti ac territi, iram posuerunt, et cum inimicis gratiam reconciliaverunt.

Haec tamen Beati Viri praeclarae virtutes eum non exemerunt, quominus flagitii insimularetur. Quaedam enim

puella, quae Gerardi opera, doteque ab eo comparata, in Fodianum asceterium a SS. Servatore excepta fuerat, paulo post cum asceterium dereliquisset, ut animi levitatem teget, coepit contra eas sanctimoniales crimina fingere, et contra ipsum Beatum Virum, quem insimulabat cum laquedoniensis hospitis filia in honestum commercium inivisse. Crimen S. Alfonsus credidit, qui Nuceriam arcessitum severe increpuit, et duas ab eo poenas expetivit: nam vetuit communicare cum extraneis, iejunare iussit, quodque Beato Viro acerbissimum, a sanctis Epolis removit. Ipse vero tam dura fortissime ultra mensem ita toleravit, ut ne verbum quidem, ad se purgandum, proferret: donec illa femina cum graviter aegrotasset, conscientiae stimulis agitata, rei veritatem detexit, ac Gerardi quum innocentia, tum singularis virtus explorata omnibus fuit.

Post haec, cum Beatus Gerardus Neapolim missus esset, et prope littus ambularet, navem vidit quae tempestate conflicta, neque appellere posset ad terram, et iam prope esset ut a fluctibus obrueretur. Pereuntium commotus misericordia, cum nemo esset, qui auxilium ferre valeret, mare securus est ingressus, et per furentes fluctus ad navem accessit, arreptamque manu, et iussam per SS. Trinitatem, ut ipsum sequeretur, ad litus incolumem deduxit.

Deinde ad collegium Matris Domini se transferre iusso ianitoris munus commissum est. In quo explendo, ad feren-  
dam indigentibus opem studiosissime intendebat animum. Non modo enim, quae per superiores licebant, tribuebat eis, sed de necessario cibo sibi ipse detrahebat, quem eis largiebatur. Caritatis tempore, cum ad famem eorum explen-

dam collegii horrea exhauriaret, ea paulo post iterum prodigo referta reperiebantur: aliquando autem panem omnem sodalibus paratum illis distribuebat, qui tamen simili miraculo integrabatur. Simul spiritualem etiam eis cibum praebebat, fidei christianaे eos rudimenta docens. Sed erga aegrotos mirabilis sollicitudo: ad quos Caput Silari se per diruptam semitam conferebat, eisque eleemosynis, pharmacis, hortationibus, ipso tandem conspectu suo subveniebat, quem, ut adesset pluribus, miraculo quandoque multiplicabat.

Eodem vero tempore magis magisque Dei caritate flagrans, aiebat unum sibi in vita agendum esse, unum exquirendum, ut Deo placeret, Deo afferret delectationem, Dei in omnibus faceret voluntatem. Quare in Deum toto animo intentus, alienas res aliquando obliscebat: ut quodam mane accidit, quod fere integrum, caelesti cibo refectus, in divinarum rerum commentatione consumpsit, munera oblitus sibi commissi parandi sodalium cibos. Id quidam ex eis cum advertissent, ad eum monendum perrexerunt. Qui placide respondit: Sed angelis ecquod negotium est? Cum vero prandii datum est signum, stupentibus sodalibus, omnia, quae ad alimoniam eorum spectabant, apte instructa erant atque parata.

Deo votae virgines sedulae curae ei fuerunt. Nam non pauca asceteria in disciplinam eius ultiro se tradebant; et ipsi Episcopi Melphis, Trojae, Muri, Compsae, Laquedoniae sacras suarum dioecesum virgines ei commendabant. Quibus, tam dissitis in locis, aut praesens, aut litteris missis, praestos erat, ut vel perfectionem conantibus adipisci adderet alacri-

tatem, vel tepentes negligentesque ad pristinae disciplinae severitatem revocaret.

Erat Gerardo incredibilis quidam peccati horror, ut non modo procul ab illo ipse fugeret, sed illud ab aliis etiam eripere totis viribus conaretur: quod si assequi id nequiret, et ab hominibus offendi Deum videret, terrore percusus, vultus hilaritatem ponebat, et se in terram prosternens, qua ratione fas erat, Dei offensionem resarcire conabatur. Cum esset Compsae scelestus quidam homo, qui, sacerdotem se esse simulans, et sacrum ministerium exercens, in errorem omnes induxerat, eum adivit Gerardus, occultisque facinoribus, quae divinitus illustratus cognoverat, patefactis, assecutus est, ut nequissimam eam vitam ille abiiceret.

Tam eximiae Viri virtutes iam eum maturum efficiebant, qui caelestem earum mercedem a Deo reciperet. Augusto mense anno MDCCCLV, cum esset annos natus undetriginta, missus ad finitima oppida est, ut saepe fiebat, ad corrogandas eleemosynas pro construenda domu Matris-Domini. Cumque elanguens confectusque ad oppidum Olivetum pervenisset, magnam ibi vim sanguinis evomuit, et ad collegium Matris Domini, iussu moderatoris, reversus est. Qui, cum eum caderis speciem referentem conspexit, fletum continere nequivit. Contra Beatus Vir eum hortabatur, laeto animo esset: Dei quippe voluntatem hilare faciendam esse aiebat. Quamquam vero, mox moriturus, extremis sacramentis est munitus, tamen, ita obedientia iussus, visus est consanescere: sed praedixit, eo ipso anno, sibi ex eodem morbo esse moriendum.

Quare, cum mense octobri in tabem recidisset, aiebat velle se mori, quo ad Deum advolaret, velle vivere, quo

pro Christo pateretur. Singulari animi ardore SS. Eucharistia quotidie reficiebatur; et in imagines Iesu cruci adfixi et Matris eius coram se positas amantissime intuebatur. Petierat a Deo, ut ab omnibus derelictus moreretur, idque obtinuit. Nocte enim, quae idus octobres antecessit, sodales, ex medici sententia, non esse eum tam cito moriturum arbitrati, in sua quisque cubicula recesserunt, relicto penes eum fratre Stephano Sperduto. Beatus Gerardus pie orans, admis sorumque veniam a Deo humillime petens, eam noctem traduxit, et Iesu ac Mariae nomina iugiter invocans ac benedicens. Cumque aliquantum aquae poposcisset, abiit ad eam sumendam Stephanus, reversusque invenit eum iam morientem, qui, vix patre Bonamano appellato, animam exhalavit. Mortuus est tricesimo aetatis anno, die exeunte S. Theresiae sacro, quam ipse singulariter colebat.

Mane sequenti funus habitum est, ad quod tanta multitudo atque ex adeo remotis oppidis confluxit, ut id prodigo adscriptum fuerit. Suavis odor e corpore manabat; frons, pectus sudorem emittebant; secataque vena, vivus sanguis exsiluit. Urgebat se circa corpus populi multitudo, cupientibus omnibus sudorem illum vel sanguinem linteis excipere, vel quidquam inde sibi assumere, quod pio ac religioso cultu servarent. Ita tres dies corpus insepultum relictum est, custodesque circa positi, qui a pio fidelium impetu illud defendebrent. Tandem in ipso templo collegii Matris Domini separato sepulcro conditum est.

Huic sepulcro multum Christifideles honorem tribuerunt, Beatique Viri suffragationum pondus experti sunt. S. Alfon sus animo deliberaverat eius historiam exarare: sed aliae

curae eum impediverunt. Alfonsi obitum aduersa tempora sequuta sunt: cumque licuit, prima Ligorianorum sodalium cura fuit, ut Conditori suo superum honores quaererent. Potissimum hoc desiderium adepti, curaverunt de Beati Gerardi virtutibus institui ordinarias quaestiones: quibus Pius IX f. r. Decessor Noster natus, commissionem causae eius ineundae signavit, xv calendas octobres MDCCCXLVII.

Quare, apostolicis quaestionibus habitis, idem Pontifex, vi idus iunias anno MDCCCLXXVII, decrevit: *Ita constare de virtutibus theologalibus et cardinalibus earumque adnexis in gradu heroico Ven. Servi Dei Gerardi Maiella, laici professi ex Congregatione SS. Redemptoris, ut procedi possit ad ulteriora, nimirum ad discussionem quatuor miraculorum.*

Quatuor igitur proposita sunt miracula. Primum fuit: *Instantaneae perfectaeque sanationis Annae Mariae Theresiae Deheneffe ab inveterato vulnere fistoloso, nullo relicto cicatricis vestigio;* alterum: *Instantaneae perfectaeque sanationis Laurentii Riola a gravi tubercolosi meseraica;* tertium: *Instantaneae perfectaeque sanationis Ursulae Solito a tumore canceroso conclamato;* quartum: *Instantaneae perfectaeque sanationis Iosephi Santorelli ab ileo-typhe gravissimo.* De hisce miraculis solemniter edixit constare Leo XIII f. r. Pontifex Maximus, vii calendas apriles anno MDCCCXCI. Idemque, vi idus septembres anni ipsius, decrevit: *Tuto procedi posse ad solemnum Ven. Servi Dei Gerardi Majella beatificationem.*

Beatificationis vero solemnia celebrata sunt apud Vaticanam Basilicam, iv calendas februarias anno MDCCCXCIII. Cumque, Beati Viri precibus, nova prodigia effecta esse narrarentur, iv idus iulias anno MDCCCXCIII, id. f. r. Decessor

Noster commissionem signavit resumptionis causae. Ergo Postulatores tria prodigia protulerunt, a Sacra Congregatione approbanda: ac deinde duo alia. Ex his omnibus duo (tot enim requirebant) probata sunt. Primo, pridie calendas septembres anno MDCCXCIII, sanata est Valeria Baerts a gravi febri typhoidea, cui cum meningites accessisset, infelix puella, agnoscendi facultate amissa, horrendis exagitata spasmis, morti imminenti iam erat addicta, cui eam fore se erepturos nec medici, nec necessarii sperabant. Verum, cum ad eam accessisset pater Cousin ex Ligorianा familia, et reliquias B. Gerardi imposuisset, hunc flagitaverunt qui adstabant, ut puellae sanationem ac fere resurrectionem a Deo impetraret. Statim illa placide obdormivit, cumque exergefacta est, compos erat sui, et quaevis morborum symptomata plane evanuerant: quaedam tantum remansit debilitas virium, quae tamen et ipsae, paucorum dierum spatio, restitutae sunt.

Altero prodigio Vincentius De Geronimo Compsani seminarii alumnus optimam recuperavit valetudinem, qua infirma et imbecilla a nativitate usus fuerat. Verum, exeunte anno MDCCXCVI, incidit in tam vehementem pleuritidem exsudativam, ut, post novem dies, de sanatione eius medici desperarent, iamque morti proximus esset. Hisce angustiis impulsus, seminarii moderator Beati Gerardi reliquias super aegrotantis pectus imposuit. Qui illico tranquillo somno se dedit, postque aliquas horas eo excusso, sensit se esse morbo perfecte liberatum, viresque sibi rediisse.

Quater de primo prodigio, ter de secundo cum esset disceptatum, Nos, divino lumine invocato, xviii calendas septembres huius anni, solemniter sanximus: *Constare de*

*duabus propositis miraculis, scilicet de primo: Instantaneae perfectaeque sanationis Valeriae Baerts in supremo vitae agone constitutae, ex febri typhoidea ad extremum stadium perducta, et meningiti cerebrali consociata; et de altero: Instantaneae perfectaeque sanationis Vincentii De Geronimo a letali pleuritide exsudativa.* Tum, die eodem, pronunciavimus: *Tuto procedi posse ad solemnum Beati Gerardi Maiella canonizationem.*

Verum, ut in tanto negotio iuris ordo servaretur, quem Decessores Nostri iam pridem constituerunt, primum universos S. R. E. Cardinales in Consistorio habendo xviii calendas decembres huius anni, sententiam eorum rogaturi, Nobis adesse iussimus, qui Beati Gerardi gestis a dilecto filio Odoardo Marchetti, Consistorialis aulae advocate, auditis, Nos ad causae huius legitimam definitionem sunt uno ore cohortati. Interea curavimus ut, datis a sacra Concilii Congregatione litteris, non viciniores solummodo Episcopi, sed etiam remotissimi quique de tanta solemnitate commonerentur, et, si esset eis facultas, sententiam suam ipsi quoque dicturi, Nobis adessent. Eorum ex orbe universo non pauci ad urbem convenerunt, qui, causa plene cognita, et ex iis, quae in publico Consistorio acta fuerant, et ex actis Sacrae Rituum Congregationis, quorum singulis exemplar tradi voluimus, in Consistorio semipublico coram Nobis nonis decembribus hoc anno coacto, in eamdem, quam Patres Cardinales, sententiam iverunt. Cuius rei publica instrumenta, a dilectis filiis Sedis Apostolicae Notariis confecta, in tabularium Sacrae Rituum Congregationis relata sunt.

Huic vero solemni Canonizationi celebrandae praefiximus diem iii idus decembres: et, ieunio indicto, fideles sumus

etiam atque etiam hortati, ut preces, iis praesertim in aedibus ingeminarent, in quibus publica augustissimi Sacramenti indicta esset adoratio, ut et ipsi uberrimum fructum possent ex tanta solemnitate percipere, et Nobis, in illa absolvenda, Spiritus Paraclitus adesset.

Cum ergo praesignata a Nobis dies advenisset, omnes quum saecularis tum regularis cleri ordines, singuli Romanae Curiae Praesules et Officiales, cuncti denique venerabiles Fratres Nostri S. R. E. Cardinales, Patriarchae, Primate, Archiepiscopi, Episcopi in Vaticanam Basilicam magnifice ornatam convenerunt, quibus solemni supplicatione praeeun-  
tibus, et Nos ingressi sumus. Tunc dilectus Filius Noster Cardinalis Aloisius Triepi, Sacrae Rituum Congregationis Pro-Praefectus, Canonizationi huic procurandae praepositus, perorante dilecto Filio Octavio Pio Conti, Consistorialis Aulae Advocato, vota Nobis precesque detulit sacrorum Antisti-  
tum et universae Ligorianorum Familiae, ut Beatum Gerar-  
dum Maiella, una cum Beato Alejandro Sauli in Sanctorum numerum referremus. Cum vero iterum ac tertio memoratus Cardinalis Aloisius Triepi et Nostrae Consistorialis Aulae Advocatus precibus institissent, Nos, superno lumine iterum ferventiusque implorato, « ad honorem Sanctae et Indivi-  
duae Trinitatis, ad catholicae fidei incrementum et decus, auctoritate Domini Nostri Iesu Christi et Nostra, matura deliberatione, et venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium, Patriarcharum, Primatum, Archiepiscoporum, Episcoporum consilio, Beatum Gerardum Maiella, laicum professum Congregationis SS. Redemptoris, Sanctum esse, et in Sanctorum catalogo adscribi decrevimus ». Cui, eodem

decreto, copulavimus B. Alexandrum Sauli, caritate in Deum hominesque, pastorali studio, reliquisque eximiis virtutibus insignem. Mandavimus etiam ut Sancti Gerardi Maiella memoria die xvi Octobris in Martyrologium Romanum referretur; et Christifidelibus, qui exuvias eius eo die fuerint venerati, indulgentiam septem annorum totidemque quadragenarum in perpetuum concessimus. Gratias denique de tanto beneficio Deo Optimo Maximo cum egissemus, Sacrum solemne fecimus. Post Evangelium vero clerum ac populum homilia allocuti sumus, atque hortati, ut omnes non Apostolorum Principes modo, sed novensiles etiam Sanctos, fidei pleni et caritatis, sibi, Ecclesiae, hominum denique societati universae propitos mererentur. Plenariam tandem indulgentiam cunctis praesentibus peramanter impertiti sumus, atque Apostolicas hasce Litteras Decretales sub Plumbo expediri mandavimus.

En ergo, o Christifideles, duo alii Sancti, e feracissimo Ecclesiae Dei gremio orti, colendi vobis atque imitandi proponuntur. Oh quam inter se dissimiles! Unus nobili genere natus; alter infima conditione et fortuna: ille liberalibus artibus, ac sacris profanisque disciplinis eruditissimus; hic, praeter rudimenta litterarum, doctus tantum manuum labore sibi victum comparare: illi Christi grex pascendus traditus; hic religiosis sodalibus famulus addictus, et ad eorum almoniam per oppida ac domos rogitans stipem. Verum adeo inter se dispares coniunxit pene infinita erga Deum caritas, quarumcumque rerum humanarum despicientia, caelestium vehemens desiderium: ut perspicuum sit, omnium conditio-  
num ac statuum homines ad se Deum appellare, omnes perfectos, omnes sanctos esse velle. Quare hunc quoque imi-

tamini: qui non est conatus ex humili conditione se extol-

lere, nec divitias, potentiam, voluptates persecutus est: sed Deus deliciae eius, eum quaesivit, ei adhaesit, eum toto animo dilexit. Ecquis tandem inter homines eo sapientior?

Etenim *divites eguerunt et esurierunt: inquirentes autem Domi-*

*nun non minuentur omni bono* <sup>1</sup>. Deus quippe *dispersit superbos*

*mente cordis sui: deposit potentes de sede, et exaltavit humiles* <sup>2</sup>.

Ipse, miris patratis prodigiis, etiam in hac mortali vita, coram hominibus humilem ac simplicem Servum suum extulit. Qui et intima animorum penetrabat, et futura praevidebat, et annonam multiplicabat, liberabat in discrimine positos, sanabat aegrotos, peccatores cum Deo reconciliabat. Quod si tam gratae Deo fuerunt S. Gerardi virtutes, vestigiis eius omnes ingrediantur, quotquot Christi sanguine regenerati sunt; fluxas quasque res aspernentur, ac Deum unum totis animi viribus diligent atque expetant.

Omnibus itaque, quae consideranda erant, bene perpensis,

certa ex scientia, et Apostolicae Auctoritatis Nostrae plenitudo-

nine, omnia et singula praedicta confirmamus, roboramus

atque iterum statuimus, decernimus, universaeque Ecclesiae

Catholicae denunciamus; mandantes, ut praesentium litterarum transumptis sive exemplis, etiam impressis, manu aliquius Notarii Apostolici subscriptis, et sigillo viri in ecclesiastica dignitate constituti munitis, eadem prorsus fides habeatur, quae hisce nostris praesentibus haberetur, si exhibitae vel ostensae forent.

<sup>1</sup> Ps. xxxiii, 10.

<sup>2</sup> Luc. i, 51, 52.

Si quis vero paginam hanc Nostrae definitionis, mandati, relaxationis et voluntatis infringere, vel temerario ausu atten-tare aut ei contraire praesumpserit, indignationem Omnipo-tentis Dei, et Sanctorum Petri et Pauli Apostolorum eius, se noverit incursum.

Datum Romae apud S. Petrum, Anno ab Incarnatione Dominica Millesimo Nongentesimo Quarto, III Idus decem-bres, Pontificatus Nostri anno secundo.

✠ Ego PIVS CATHOLICAE ECCLESIAE EPISCOPVS.



- † Ego A. Episcopus Ostien. et Veleri. Card. Oreglia a S. Stephano S. R. E. Camerarius S. C. Decanus.
- † Ego S. Episcopus Portuen. et S. Rufinae Card. Vannutelli Maior Poenitentiarius.
- † Ego A. Episcopus Albanen. Card. Agliardi S. R. E. Vice-Cancel-larius.
- † Ego V. Episcopus Praenestinus Card. Vannutelli.
- † Ego F. Episcopus Tusculanus Card. Satolli.
- † Ego M. Tituli S. Caeciliae Presbyt. Card. Rampolla.
- † Ego A. tit. S. Laurentii in Lucina Presbyt. Card. Di Pietro.
- † Ego Fr. H. M. Ord. Carmel. excalc. tit. S. Mariae de Scala Presbyt. Card. Gotti.

- † Ego D. tit. S. Priscae Presbyt. Card. Ferrata.  
† Ego S. tit. S. Mariae supra Minervam Presbyt. Card. Cretoni.  
† Ego J. B. tit. S. Mariae de Victoria Presbyt. Card. Casali Del Drago.  
† Ego F. de Paula tit. S. Chrysogoni Presbyt. Card. Cassetta.  
† Ego A. tit. S. Marcellini et Petri Presbyt. Card. Sanminiatelli.  
† Ego F. D. tit. S. Sabinae Presbyt. Card. Mathieu.  
† Ego P. tit. Ss. IV Coronatorum Presbyt. Card. Respighi.  
† Ego S. tit. S. Augustini Presbyt. Card. Martinelli.  
† Ego C. tit. S. Marcelli Presbyt. Card. Gènnari.  
† Ego C. tit. S. Calisti Presbyt. Card. Nocella.  
† Ego B. tit. S. Mariae in Ara-Coeli Presbyt. Card. Cavicchioni.  
† Ego E. tit. S. Bernardi ad Thermas Presbyt. Card. Taliani.  
† Ego R. tit. S. Praxedis Presbyt. Card. Merry del Val.  
  
† Ego A. S. Mariae in Via Lata Protodiaconus Card. Macchi.  
† Ego A. Soc. Ies. S. Agathae ad Subur. Diac. Card. Steinhuber.  
† Ego F. S. Mariae in Porticu Diac. Card. Segna.  
† Ego R. Ord. Praedie. SS. Cosmae et Damiani Diac. Card. Pierotti.  
† Ego F. Sal. S. Mariae in Aquiro Diac. Card. Della Volpe.  
† Ego J. C. Ord. Capulat. S. Hadriani Diac. Card. Vives y Tuto.  
† Ego A. S. Mariae in Dominica Diac. Card. Tripepi.  
† Ego F. S. Mariae ad Martyres Diac. Card. Cavagnis.

A. CARD. DI PIETRO Pro-DAT. — A. CARD. MACCHI

VISA

DE CVRIA I. DE AQVILA E VICECOMITIBVS

Loco  Plumbi

*Reg. in Secret. Brevium*

V. CYGNONIVS

## EPISTOLA

DILECTO FILIO

FRANCISCO WICKHOFF

DOCTORI DECVRIALI INSTITVTI VINDOBONENSIS

HISTORIAE AVSTRIACAE EXCOLENDÆ

VINDOBONAM

—

PIVS PP. X

DILECTE FILI

SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

**F**liversos illustrare codices, quotquot in bibliothecis Austriae custodiuntur, figuris minioque ornatos, id quod ipse curas publice, magnum sane opus est atque, ut ex editis binis voluminibus apparet, tua et doctorum virorum, qui tecum elaborant, eruditione dignum. Idem autem Nobis peculiari quodam et proprio nomine videtur commendabile. Primum enim, quae res hic efferuntur, ignorat nemo, ab sedulitate fere et sollertia hominum sacri ordinis profectas esse. Deinde, quum eiusmodi codices, partem longe maximam, in usum sacrorum media aetas tulerit, naturâ fiet, ut iste a vobis susceptus labor praecipue ad illuminandam eorum temporum liturgiam Ecclesiae pertineat. Quapropter intelliges, et quam grata habuerimus quos humaniter Nobis obtulisti

muneri, primos industriae vestrae fructus, et quantopere cupiamus, ut bene coepta adducatis ad exitum, favente Deo, feliciter. Testem vero propensae voluntatis Nostrae tibi, dilecte fili, adiutoribusque tuis Apostolicam Benedictionem peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die xviii Decembris anno MDCCCCV, Pontificatus Nostri tertio.

PIVS PP. X

## EPISTOLA

DILECTIS FILIIS

ABBATIBVS VNIVERSI ORDINIS BENEDICTINI

PIVS PP. X

DILECTI FILII

SALVTEM EL APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

**D**ilectus filius Gerardus Van Caloen quam alacri constantique studio iamdiu contendat ut Brasiliae gentibus catholici apostolatus bona conciliet, vobis satis superque esse notum pro certo habemus. Ut tamen ea omnia, quae idem dilectus filius, divino iuvante numine, implenda sibi proposuit, reapse impleantur, unum deest, ut numerus vide licet operariorum augeatur, qui in messe Domini portent pondus diei et aestus. Quare, caritate Christi permoti et salvandarum animarum desiderio, enixe vos exhortamur imo et obsecramus, ut si quos, in monasterio quisque vestro, reperiatis, qui praedictum dilectum filium Gerardum in Brasiliae oras sequi velint eique in vinea Domini adlaborare, eos ne prohibeatis, immo hortatione vestra stimuletis et corde magno et animo volenti derelictarum gentium necessitatibus concedatis. Hoc autem confidite, potentem esse Deum abundare facere in vobis, ut monasteria vestra nihil inde capiant

detrimenti, sed, contra, numero et virtute floreant. Paternae  
Nostrae dilectionis testem ac munera divinorum auspicem,  
Apostolicam Benedictionem vobis et subiectis cuique mona-  
chis amantissime impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die xx Decembris anno  
**MDCCCCV**, Pontificatus Nostri tertio.

**PIVS PP. X**

## DECRETVM

SACRAE CONGREGATIONIS CONCILII  
DE QVOTIDIANA SS. EVCHARISTIAE SVMPTIONE

**S**acra Tridentina Synodus, perspectas habens ineffabiles, quae Christifidelibus obveniunt, gratiarum divitias, sanctissimam Eucharistiam sumentibus<sup>1</sup>, ait: *Optaret quidem sacrosancta Synodus, ut in singulis Missis fideles adstantes non solum spirituali affectu, sed sacramentali etiam Eucharistiae perceptione communicarent.* Quae verba satis aperte produnt Ecclesiae desiderium ut omnes Christifideles illo caelesti convivio quotidie reficiantur, et pleniores ex eo sanctificationis hau-riant effectus.

Huiusmodi vero vota cum illo cohaerent desiderio, quo Christus Dominus incensus hoc divinum Sacramentum instituit. Ipse enim nec semel nec obscure necessitatem innuit suae carnis crebro manducandae suique sanguinis bibendi, praesertim his verbis: *Hic est panis de coelo descendens; non sicut manducaverunt patres vestri manna et mortui sunt: qui manducat hunc panem vivet in aeternum*<sup>2</sup>. Ex qua comparatione cibi angelici cum pane et manna facile a discipulis intelligi poterat, quemadmodum pane corpus quotidie nutri-

<sup>1</sup> Sess. 22, cap. 6.

<sup>2</sup> Ioan., vi, 59.

tur, et manna in deserto Hebraei quotidie refecti sunt, ita animam christianam caelesti pane vesci posse quotidie ac recreari. Insuper quod in oratione Dominica exposci iubet *panem nostrum quotidianum*, per id Sancti Ecclesiae Patres fere unanimes docent, non tam materialem panem, corporis escam, quam panem eucharisticum quotidie sumendum intellegi debere.

Desiderium vero Iesu Christi et Ecclesiae, ut omnes Christifideles quotidie ad sacrum convivium accedant, in eo potissimum est ut Christifideles, per sacramentum Deo coniuncti, robur inde capiant ad compescendam libidinem, ad leves culpas, quae quotidie occurunt, abluendas, et ad graviora peccata, quibus humana fragilitas est obnoxia, praecavenda: non autem praecipue ut Domini honori, ac venerationi consulatur, nec ut sumentibus id quasi merces aut praemium sit suarum virtutum<sup>1</sup>. Unde S. Tridentinum Concilium Eucharistiam vocat *antidotum quo liberemur a culpis quotidianis et a peccatis mortalibus praeservemur*<sup>2</sup>.

Hanc Dei voluntatem priores Christifideles probe intelligentes, quotidie ad hanc vitae ac fortitudinis mensam accurabant. *Erant perseverantes in doctrina Apostolorum et communicatione fractionis panis*<sup>3</sup>. Quod saeculis posterioribus etiam factum esse, non sine magno perfectionis ac sanctitatis emolumento, Sancti Patres atque ecclesiastici Scriptores tradiderunt.

<sup>1</sup> S. August. Serm. 57 in Matth. *De Orat. Dom.*, v. 7.

<sup>2</sup> Sess. 13, cap. 2.

<sup>3</sup> Act. II, 42.

Defervescente interim pietate, ac potissimum postea Ianseniana lue undequaque grassante, disputari coeptum est de dispositionibus, quibus ad frequentem et quotidianam Communionem accedere oporteat, atque alii prae aliis maiores ac difficiliores, tamquam necessarias, expostularunt. Huiusmodi disceptationes id effecerunt, ut perpauci digni haberentur qui SS. Eucharistiam quotidie sumerent, et ex tam salutifero sacramento pleniores effectus haurirent; contentis ceteris eo refici aut semel in anno, aut singulis mensibus, vel unaquaque ad summum hebdomada. Quin etiam eo severitatis ventum est, ut a frequentanda caelesti mensa integri coetus excluderentur, uti mercatorum, aut eorum *qui essent matrimonio coniuncti*.

Nonnulli tamen in contrariam abierunt sententiam. Hi, arbitrati Communionem quotidianam iure divino esse praecptam, ne dies ulla praeteriret a Communione vacua, praeter alia a probato Ecclesiae usu aliena, etiam feria vi in Parrocce Eucharistiam sumendam censebant, et ministrabant.

Ad haec Sancta Sedes officio proprio non defuit. Nam per decretum huius Sacri Ordinis, quod incipit *Cum ad aures*, diei XII mensis Februarii anni MDCLXXIX, Innocentio Pp. XI adprobante, errores huiusmodi damnavit et abusus compescuit, simul declarans omnes cuiusvis coetus, mercatoribus atque coniugatis minime exceptis, ad Communionis frequentiam admitti posse, iuxta singulorum pietatem et sui cuiusque Confessarii iudicium. Die vero VII mensis Decembris anni MDCXC, per decretum *Sanctissimus Dominus noster Alexander* Pp. VIII, propositio Baii, purissimum Dei amorem absque ullius defectus mixtione requirens ab iis qui ad sacram mensam vellent accedere, proscripta fuit.

Virus tamen iansenianum, quod bonorum etiam animos infecerat, sub specie venerationis et honoris Eucharistiae debiti, haud penitus evanuit. Quaestio de dispositionibus ad frequentandam recte ac legitime Communionem Sanctae Sedis declarationibus supervixit; quo factum est ut nonnulli etiam boni nominis Theologi, raro et positis compluribus conditionibus, quotidianam Communionem fidelibus permitti posse censuerint.

Non defuerunt aliunde viri doctrina ac pietate praediti, qui faciliorem aditum praeberent huic tam salubri Deoque accepto usui, docentes, auctoritate Patrum, nullum Ecclesiae praeceptum esse circa maiores dispositiones ad quotidianam, quam ad hebdomadariam aut menstruam Communionem; fructus vero ubiores longe fore ex quotidiana Communione, quam ex hebdomadaria aut menstrua.

Quaestiones super hac re diebus nostris adiunctae sunt et non sine acrimonia exagitatae; quibus Confessariorum mentes atque fidelium conscientiae perturbantur, cum christiane pietatis ac fervoris haud mediocri detimento. A viris idcirco praeclarissimis ac animarum Pastoribus SSmo Dño Nostro Pio PP. X enixae preces porrectae sunt, ut suprema Sua auctoritate quaestionem de dispositionibus ad Eucharistiam quotidie sumendam dirimere dignaretur; ita ut haec saluberrima ac Deo acceptissima consuetudo non modo non minuatur inter fideles, sed potius augeatur et ubique propagetur, hisce diebus potissimum, quibus Religio ac fides catholica undequaque impetratur, ac vera Dei caritas et pietas haud parum desiderantur. Sanctitas vero Sua, cum Ipsi maxime cordi sit, ea qua pollet sollicitudine ac studio, ut christianus

populus ad Sacrum convivium perquam frequenter et etiam quotidie advocetur eiusque fructibus amplissimis potiatur, quaestionem praedictam huic Sacro Ordini examinandam ac definiendam commisit.

Sacra igitur Concilii Congregatio in plenariis Comitiis diei xvi mensis Decembris MDCCCCV hanc rem ad examen accuratissimum revocavit, et rationibus hinc inde adductis sedula maturitate perpensis, ea quae sequuntur statuit ac declaravit:

1.º Communio frequens et quotidiana, utpote Christo Domino et Catholicae Ecclesiae optatissima, omnibus Christifidelibus cuiusvis ordinis aut conditionis pateat; ita ut nemo, qui in statu gratiae sit et cum recta piaque mente ad S. Mensam accedat, prohiberi ab ea possit.

2.º Recta autem mens in eo est, ut qui ad sacram mensam accedit non usui, aut vanitati, aut humanis rationibus indulgeat, sed Dei placito satisfacere velit, ei arctius caritate coniungi, ac divino pharmaco suis infirmitatibus ac defectibus occurrere.

3.º Etsi quam maxime expedit ut frequenti et quotidiana Communione utentes venialibus peccatis, saltem plene deliberatis, eorumque affectu sint expertes, sufficit nihilominus ut culpis mortalibus vacent, cum proposito, se numquam in posterum peccaturos: quo sincero animi proposito, fieri non potest quin quotidie communicantes a peccatis etiam venialibus, ab eorumque affectu sensim se expediant.

4.º Cum vero Sacraenta Novae Legis, etsi effectum suum ex opere operato sortiantur, maiorem tamen producant effectum quo maiores dispositiones in iis suscipiendis

adhibeantur, idcirco curandum est ut sedula ad sacram Communionem praeparatio antecedat, et congrua gratiarum actio inde sequatur, iuxta uniuscuiusque vires, conditionem ac officia.

5.<sup>o</sup> Ut frequens et quotidiana Communio maiori prudentia fiat uberiorique merito augeatur, oportet ut Confessarii consilium intercedat. Caveant tamen Confessarii ne a frequenti seu quotidiana Communione quemquam avertant, qui in statu gratiae reperiatur et recta mente accedat.

6.<sup>o</sup> Cum autem perspicuum sit ex frequenti seu quotidiana S. Eucharistiae sumptione unionem cum Christo augeri, spiritualem vitam uberioris ali, animam virtutibus effusius instrui, et aeternae felicitatis pignus vel firmius sumenti donari, idcirco Parochi, Confessarii et concionatores, iuxta probatam Catechismi Romani doctrinam <sup>1</sup>, christianum populum ad hunc tam pium ac tam salutarem usum crebris admonitionibus multoque studio cohortentur.

7.<sup>o</sup> Communio frequens et quotidiana praesertim in religiosis Institutis cuiusvis generis promoveatur: pro quibus tamen firmum sit decretum *Quemadmodum* diei xvii mensis Decembris MDCCCXC a S. Congr. Episcoporum et Regularium latum. Quam maxime quoque promoveatur in clericorum Seminariis, quorum alumni altaris inhiant servitio; item in aliis christianis omne genus ephebeis.

8.<sup>o</sup> Si quae sint Instituta, sive votorum solemnium sive simplicium, quorum in regulis aut constitutionibus vel etiam calendariis, Communiones aliquibus diebus affixaes et in iis

<sup>1</sup> Part. II, c. 63.

iussae reperiantur, hae normae tamquam mere *directiveae* non tamquam *praeceptivae* putandae sunt. Praescriptus vero Communionum numerus haberi debet ut quid minimum pro Religiosorum pietate. Idcirco frequentior vel quotidianus accessus ad eucharisticam mensam libere eisdem patere semper debebit, iuxta normas superius in hoc decreto traditas. Ut autem omnes utriusque sexus religiosi huius decreti dispositiones rite cognoscere queant, singularum domorum moderatores curabunt, ut illud quotannis vernacula lingua in communi legatur intra Octavam festivitatis Corporis Christi.

9.<sup>o</sup> Denique post promulgatum hoc Decretum omnes ecclesiastici scriptores a quavis contentiosa disputatione circa dispositiones ad frequentem et quotidianam Communionem abstineant.

Relatis autem his omnibus ad SS<sup>m</sup>num D. N. Pium PP. X per infrascriptum S. C. Secretarium in audience diei xvii mensis Dec. MDCCCCV, Sanctitas Sua hoc E<sup>m</sup>orum Patrum decretum ratum habuit, confirmavit atque edi iussit, contrariis quibuscumque minime obstantibus. Mandavit insuper ut mittatur ad omnes locorum Ordinarios et Praelatos Regulares, ad hoc ut illud cum suis Seminariis, Parochis, institutis religiosis et sacerdotibus respective communicent, et de executione eorum, quae in eo statuta sunt, S. Sedem edoceant in suis relationibus de dioecesis seu instituti statu.

Datum Romae, die xx Decembris MDCCCCV.

† VINCENTIUS CARD. EP. PRAENESTINUS, *Praefectus.*

C. DE LAI, *Secretarius.*

## DECRETVM

SACRAE CONGREGATIONIS CONCILII  
DE SEMINARIORVM ALVMNIS

—

**V**etuit S. Tridentina Synodus ad sacros ordines ascenderem, vel ordines iam susceptos exercere eos omnes qui a suo Episcopo fuerint etiam extrajudicialiter prohibiti. Ita namque in cap. I, sess. 14, *De reform.* statuitur:

« Cum honestius ac tutius sit subiectis debitam Praepositis obedientiam impendendo in inferiori ministerio deseruisse, quam cum Praepositorum scandalo graduum altiorum appetere dignitatem; ei cui ascensus ad sacros ordines a suo Praelato ex quacumque causa, etiam ob occultum crimen, quomodolibet, etiam extrajudicialiter fuerit interdictus, aut qui a suis ordinibus seu gradibus vel dignitatibus ecclesiasticis fuerit suspensus, nulla contra ipsius Praelati voluntatem concessa licentia de se promoveri faciendo, aut ad priores ordines, gradus et dignitates sive honores, restitutio suffragetur ».

Cum vero generalis haec lex Seminariorum quoque alumnos comprehendat, si quis eorum, sive clericus sive clericatui adhuc non initiatus, e pio loco dimittatur eo quod certa vocationis signa non praebat, aut qualitatibus ad

ecclesiasticum statum requisitis non videatur instructus, hic certe deberet, iuxta grave S. Concilii monitum, sui Pastoris iudicio subesse et acquiescere.

At contra saepe contingit ut e Seminario dimissi, eorum qui praesunt iudicium parvipendentes et sua potius opinione confisi, ad sacerdotium nihilominus ascendere studeant. Quaeritant itaque aliud Seminarium, in quo recipientur, ubi studiorum cursum expleant, ac denique aliquo exhibito plus minusve sincero ac legitimo domicili aut incardinationis titulo, ordinationem assequuntur. Sanctuarium autem ingressi haud recta via, quam saepissime fit ut Ecclesiae utilitati minime sint. Passim vero utrumque Ordinarium, et originis et ordinationis, diu fastidioseque vexant ut sibi liceat ad natale solum regredi, ibique consistere, dioecesi in qua et pro qua ordinati sunt derelicta, et alia optata, pro cuius necessitate aut utilitate minime assumpti sunt, ubi imo eorum praesentia otiosa est et quandoque etiam damnosa: unde Episcopi in graves angustias coniiciuntur.

His itaque de causis nonnullarum provinciarum Episcopi inter se convenerunt statuentes in sua Seminaria neminem admittere qui ante fuerit a proprio dimissus.

Sed cum particularis haec conventio non plene neque undique sufficeret, complures Ordinarii S. Sedem rogaverunt ut generalem legem ferret, qua malum radicitus toleretur.

His itaque attentis, et omnibus ad rem mature perpensis, SS<sup>m</sup>us D. N. Pius PP. X, cui cordi quam maxime est ecclesiasticam disciplinam integrum conservare, et a sacris avertere quemlibet, qui probatissimus non sit, accedente etiam voto

Emorum S. C. Concilii Patrum in Congregatione diei xvi  
mensis Decembris MDCCCCV emissso, praesentibus litteris statuit  
atque decernit:

1.º Ut in posterum nullus loci Ordinarius alterius dioecesis subditum sive clericum sive laicum in suum Seminarium admittat, nisi prius secretis litteris ab Episcopo Oratoris proprio expetierit et cognoverit, utrum hic fuerit olim a suo Seminario dimissus. Quod si constiterit, omittens iudicare de causis, aut determinare utrum iuste an iniuste alias Episcopos egerit, aditum in suum Seminarium postulanti praeccludat.

2.º Qui vero bona fide admissi sunt, eo quod reticuerint se antea in alio seminario versatos esse et ab eo deinde dimisso, statim ut haec eorum conditio cognoscatur, admonendi sunt ut discedant. Quodsi permanere velint, et ab Ordinario id eis permittatur, eo ipso huic dioecesi adscripti maneant, servatis tamen canonicis regulis pro eorum incarnatione et ordinatione; sed aucti sacerdotio in dioecesim, e cuius Seminario dimissi fuerint, regredi ibique stabile domicilium habere prohibentur.

3.º Pariter cum similis ferme ratio vigeat, qui dimissi ex Seminariis aliquod religiosum institutum ingrediuntur, si inde exeant postquam sacris iniciati sunt, vetantur in dioecesim redire, e cuius Seminario dimissi fuerint.

4.º Dimissi vero ex aliquo religioso Instituto in Seminarium ne admittantur, nisi prius Episcopus secretis litteris a moderatoribus eiusdem Instituti notitias requisierit de moribus, indole et ingenio dimissorum, et constiterit nil in eis esse quod sacerdotali statui minus conveniat.

Denique meminerint Episcopi fas sibi non esse, nomine proprio manus cuiquam imponere, qui subditus ipsis non sit eo modo et uno ex iis titulis, qui in Constitutione « *Speculatores* » Innocentii XII et in decreto S. C. Concilii, quod incipit « *A primis* » die xx m. Iulii MDCCXCVIII, statuuntur. Ac pariter neminem ordinari posse qui non sit utilis aut necessarius pro ecclesia aut pio loco, pro quo assumitur, iuxta praescripta a S. Tridentino Concilio in cap. XVI, sess. 23 *De reform.*

Vult autem Sanctitas Sua ut statuta haec et cautelae omnes a sacris canonibus in re tam gravi adiectae, ab Ordinariis ad unguem serventur; idque ipsorum conscientiae et sollicitudini quam maxime commendat.

Praesentibus valituris, contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Datum Romae die xxii m. Decembris MDCCCV.

† VINCENTIVS CARD. EP. PRAENESTINVS. *Praefectus.*

C. DE LAI. *Secretarius.*

# INDEX

---

Epistola « <i>Quod nuper</i> », die 1 mensis Ianuarii, ad Lucianum Episcopum Anneciensium. Edita ad eos dies munerique delata volumina omnium operum Sancti Francisci Salesii, iucunde Se habuisse testatur, et Salesianis de Monasterio Anneciensi Virginibus pro humano dono gratias agit. Operis vero praestantiam confectionemque dilaudat, multumque utilitatis obuentram inde sperat sacrorum administris .	PAG.	1
Litterae Apostolicae « <i>Quum Nobis</i> », die 2 mensis Ianuarii, quibus Praefectura Apostolica de Cameron in Africa Occidentali in Vicariatum Apostolicum erigitur	»	3
Epistola « <i>Quinquagesimo redeunte anno</i> », die 5 mensis Ianuarii, ad Petrum Lambertum S. R. E. Presbyterum Cardinalem Goossens, Archiepiscopum Mechliniensium, et ad ceteros Belgarum episcopos. Eis gratulatur quod Belgarum gens in singularem Mariae clientelam se, familias, res suas omnes nationemque universam solemni ritu tradiderit.	»	
Epistola « <i>Quum Nos</i> », die 21 mensis Ianuarii, ad Aloisium Erms S. F., Praesidi Congregationis Mariana Academicae in urbe Zagrabensi. Sodalitatem, quippe quae Magnae Se Dei Matri peculiarem in modum consecrasset, litterasque Pontifici mississet, gratiis et laude prosequitur, excitatque ad adhaerendum in dies coniunctius Cathedrae Beati Petri, Marcum Crisinum e croatica gente, imitatam, cui nuper Beatorum Caelitum decernebant honores	»	7
Epistola « <i>Quemadmodum servari</i> », die 23 mensis Ianuarii. ad Petrum Wagner, doctorem decurialem in Lyceo Magno Fribur-		

gensi, et moderatorem generalis conventus studiosorum cantus Gregoriani. Talem cogi coetum, qui tradita a Pontifice Summo praecepta de sacra instauranda musica nitatur adiungere ad usum, libenter laetatur, eo vel magis quod non verbis modo, sed etiam exemplis propositum sit excitare voluntates. PAG.

9

Epistola « *Epistolam a te pastoralem* », die 31 mensis Ianuarii, ad Stephanum Mariam Archiepiscopum Cameracensem. Probat epistolam eum edidisse pastoralem ad conquirendas vulgo pecunias, quae decimo quoque anno corrogari pro catholico lyceo magno Insulensi solent. Confidere vero Se declarat, quotquot benefacta persentiant catholicae institutionis adolescentium, in primisque Gallos, episcopali responsuros esse invitationi manu munifica

» 11

Epistola « *Quae afferuntur ad Nos* » die 5 mensis Februarii, ad Laurentium Ianssens, Monachum Benedictinum. Opus exornantium Cassinense Benedicti et Scholasticae hypogaeum commendatione prosequitur, votumque concipit ut quemadmodum bene initia sunt posita, ita felix consequatur exitus, adiuvante bonorum liberalitate

» 13

Epistola « *Abbiam letti* », die 6 mensis Februarii, ad Vincentium Sardi, Protonotarium Apostolicum, Pontifici Summo ab epistolis ad Principes. Quae acta et documenta definito dogmati Immaculatae Conceptionis B. M. V. praeivissent, gaudet fuisse ab eodem feliciter edita. rationesque declarat, quare debeat opus utilitatem multam afferre.

» 15

Epistola « *Consilium illud* », die 8 mensis Februarii ad Amadeum Ghizzoni, sacerdotem, moderatorem Commentarii « *Il Catechista Cattolico* ». Initum ab eo consilium de altero catholicorum conventu super christiana catechesi habendo. magnopere Se probasse dicit; inde vero opportunum quaerendum esse remedium malo omnium gravissimo aetatis nostrae, quae, in tanto apparatu doctrinarum et ardore discendi, incredibili tamen ignoratione religionis detinetur.

» 17

- Epistola « *Benevolentiam in te Nostram* », die 9 mensis Februarii, ad Franciscum Mariam S. R. E. Presbyterum Cardinalem Richard, Archiepiscopum Parisiensium. Illustri ac pientissimo Purpurato viro gratulatur pro redeunte sexagesimo sacerdotii eius natali et pro expleto episcopatus anno tertio et tricesimo; vota deinde, summo cum animo, profert, plurimos illi precatus annos. PAG. 19
- Litterae Apostolicae « *Quum, sicuti admotae* », die 15 mensis Februarii, quibus catholicae scholae theologiae in lyceo magno Bonnensi, e dioecesi Coloniensi, potestas academicos conferendi gradus conceditur . ➤ 21
- Epistola « *Sena nuper volumina* », die 20 mensis Februarii, ad L. A. Paquet, Protonotarium Apostolicum, Decanum Scholae Theologiae in lyceo magno Lavallensi. Grato prosequitur animo munus eiusdem Decani, id est sena volumina de dogmatibus ac de Sacramentis, ad mentem Thomae Aquinatis conscripta. Omnes dein illius lycei magni decuriales doctores tradendae theologiae adhortatur ne ab Aquinatis disciplina discedant. ➤ 24
- Motu proprio « *Inter multiplices curas* », diei 21 mensis Februarii, de Protonotariis Apostolicis, Praelatis Urbanis, et aliis, qui non nullis privilegiis Praelatorum propriis fruuntur. Ex quo Pontificalium usus per Pontifices aliquibus Praelatis concessus est, id saepe accidisse Pontifex reperit, ecclesiasticam disciplinam haud leve detrimentum cepisse et episcopali dignitati non paullum iniuriae esse illatum. Neglectis enim vel amplificatis Sedis Sanctae documentis, consuevere, aetate hac nostra, Praelati immoderate uti insignibus et praerogativis; quo factum est ut vilius sit effecta dignitas Episcoporum. Quapropter, sublati consuetudinibus ac privilegiis contrariis, non alia iura fas est Praelatis usurpare, quam quae hoc decreto contineantur. Iura vero ista singulatim describit, distributis antea in quattuor ordines Protonotariis Apostolicis, qui ordines hi sunt: I Protonotarii Apostolici de numero participantium; II Protonotarii Apostolici supranumerarii; III Protonotarii Apostolici instar Participantium; IV Protonotarii Apostolici titulares, seu hono-

rarii. Deinde ad ceteros Romanae Curiae Praelatos gradum facit, ac postremo de dignitatibus, Canoniciis et aliis, qui nonnulla Praelatorum privilegia participant, leges perscribit. PAG.

26

Epistola « Solemne illud », die 22 mensis Februarii ad Ludovicum Pèchenard, Protonotarium Apostolicum et Catholici Instituti Parisiensis Rectorem. Praehabito de paeclaris Ecclesiae erga doctrinas meritis, suam in Athenaeum illud voluntatem confirmat, laudemque iis, quorum ope res stat, episcopis in primis, impertit. Quanti intersit adolescentes institui religiose, declarat, sacerdotesque vult instructos, hodie cum maxime, a philosophia, a iure, a cognitione naturae, a litteris. Sapientiae veteris principiis in tuto collocatis, tum docet minime esse negligendum quidquid, recentiorum sollertia, repertum veri est. Improbat denique illorum agendi rationem, qui constanter submoventes vetera, obtrudentes nova, idque nullam fere ob aliam caussam nisi novitatis, eam sententiam profitentur: cras, quod hodie falsum, habebitur verum

» 48

Epistola « Quum haud ita pridem », die 27 mensis Februarii ad Thomam Kennedy, Pontificiae Domus Antistitem Rectoremque Urbani Collegii pro alumnis foederatarum Americae civitatum. Alumnorum in studiis diligentiam et in disciplina ac pietate sedulitatem laudat, ominaturque ut eorum numerus crescat; unde, quemadmodum multa antea in utilitatem patriae derivata sunt, ampliora certe erunt expectanda posteritati commoda. »

51

Epistola « La lettera circolare », die 1 mensis Martii, ad Dominicum S. R. E. Cardinalem Svampa, Archiepiscopum Bononiensium. Populares christianos ideo reprehendit quod, contra Pontificalia praescripta de actione populari christiana, integrae libertatis esse contendant ab auctoritate episcoporum. Quum autem illud Pontifex acceperit cogendum mox esse Bononiae conventum eorumdem popularium, quibus sit propositum graviora quedam inire consilia de solida sibi vindicanda libertate, catholicis veri nominis multoque magis viris e sacro ordine interdicit netalem in congressionem se conferant.

» 53

Epistolam « *Austriam, catholico caram nomini* », die 6 mensis Martii ad Antonium Ioseph S. R. E. Cardinalem Gruscha, Archiepiscopum Vindobonensem, et ad ceteros Archiepiscopos et Episcopos Austriae. Id in primis dolet, non deesse in Austria qui sacra catholica deserant ac sese iis, qui contra sentiant, defendant. Occasionem vero arripiens flagitii miserandi adolescentium complurium, studiis addictorum, qui, a catholica religione publice atque uno tempore discesserant, episcopos hortatur ut quo sunt maiora damna ac discrimina, eo sollertia studia adhibeant ad providendum .

PAG. 56

Litterae Apostolicae « *Sedis Apostolicae* » die 19 mensis Martii, quibus Collegium Urbis Pium Latinum-Americanum Pontificii titulo augetur, eiusque regundi leges sanciuntur.

» 59

Allocutio « *Amplissimum coetum vestrum* », habita in consistorio die 27 mensis Martii. Illud antea dolere Sibi declarat eos, qui in Gallia praesunt, consilium agitare non modo fidei rumpendae foederis, initi, saeculo ante, cum Ecclesia, sed legis etiam ferendae, qua rei publicae ab Ecclesia discidium sanciatur. - Immanitatem deinde belli, quo iamdiu extremae Orientis orae flagabant, aegerrime Se ferre patefacit. Tum eos qui Brasiliam, Peruviam, Boliviam administrant, laude prosequitur, quod de finibus controversiam iis in populis exortam coetui disceptandam detulerint, cui Apostolicus in Brasilia Legatus praesit. Postremo non eamdem cum Romana Sede coniunctionem voluntatemque eos fovere, qui Aequatorianam Rem publicam moderantur, conqueritur, latasque ab eis contra Religionem leges graviter publiceque reprehendit.

» 66

Litterae Encyclicaes « *Acerbo nimis* », die 15 mensis Aprilis, ad sacros universi catholici orbis Antistites, de christiana doctrina traddenda. Religiosae rei statum, aetate hac nostra, minus florentem, inde docet esse repetendum, quod homines divinarum ignorantie rerum, magnam partem, teneantur, idque non apud inferiores tantum ordines civium, sed apud eos etiam, qui, ceteroqui, nec ingenio careant nec cultu. Ex quo nihil est cur miremur

si corrupti consequantur mores. Nam voluntas, obcaecata cupiditatibus, duce indiget, qui monstrat viam: dux autem, a natura comparatus, mens ipsa est; lux vero mentis, divinarum rerum notitia. Haec autem sapientia christiana quam multas afferat homini utilitates, sive ad fidem, spem, caritatemque excitandas, sive ad virtutes omne genus e Christi exemplo in actionem vitae derivandas, declarat. Id quidem non expectat ut non posse corrumpi mores ostendat, ubi scientia vigeat religionis; sed tum religionis ignorationem nullo modo posse ad sanctitudinem morum esse viam, tum etiam licere, ubi fidei lumen colluceat, spem concipere emendandi animi. — Quotquot sunt animarum pastores, eorum esse munus declarat eiusmodi inscientiam e mentibus depellere, nihilque Christo gratius accidere, quam si edoceantur sacra fideles. Hoc quidem gravissimum officium est, quibus sacerdotes teneantur: in his vero, ad curiones in primis, vi munera et quasi initi pacti, ista pertinent. Ad rem praescripta Concilii Tridentini commemorat, additque Benedicti XIV verba, qui officium seiungit homiliae de Evangelio habendae, ab officio doctrinae christianaee praecipiendae: hoc ad praeparandum, illud ad perficiendum conductit. — Catechistarum munus ab invidia et fastidio vindicat, eorumque fructus, prae exitu amplissimorum sermonum, extollit. Iam, Catechesis descriptis utilitatibus, ipsi plane propriis, iure colligit, non alia de caussa elanguescere atque esse pene intermortuam nostrae aetatis fidem, nisi quia doctrinae christianaee tradendae vel persolvatur negligenter vel praetermittatur officium. Quapropter huic volens incommodo prospicere, ita quidem ut eadem ubique obtineat huius explendi muneris ratio, leges fert, quibus doctrina chistiana quum pueris puerisque, tum adolescentibus, tum denique aetate proiectis tradatur. Monet postremo, ne quis, in hoc tractando genere, sibi persuadeat minore opus esse apparatione et studio quam sacris oratoribus; contra, maiore opus est; scilicet, ut sublimes veritates ad obtusiorem imperitorum aciem accommodentur. PAG. 69

studiosam coniunctionem, memoremque se de delata Petriana  
stipe praebet. Eumdem vero Antistitem auspicatum esse a  
sacris cuniculum Sempronii montis, humanaeque ita indu-  
striae consecrasse incrementa, vehementer probat. PAG. 85

Epistola « Quum propediem », die 23 mensis Aprilis ad Gabrielem  
Mariam, Antistitem Generalem Fratrum a Scholis Christianis.  
Sodales laudat et ad constantiam inflamat, quippe qui, de  
religione pae ceteris benemeriti, praecipuos quosdam ab ini-  
mica vi, per haec misera Galliae tempora, impetus sustineant.  
Monet autem cavendum ne opinio invalescat illa, Fratres a  
Scholis Christianis debere primas dare institutioni puerili, reli-  
giosae professioni secundas: multo enim maioribus officiis obli-  
gantur illi erga Deum, quam erga proximos. > 87

Decretum « Decreto regio ». S. Congregationis Consistorialis die 5  
mensis Maii, quo pagus, cui nomen Wacklbeckerfeld, ab Ar-  
chidioecesi Coloniensi separatur et dioecesi Monasteriensi subii-  
citur > 89

Epistola « Sollicito vehementer animo », die 5 mensis Maii, ad Ioseph  
Sebastianum S. R. E. Cardinalem Neto, Patriarcham Olissip-  
ponensium, et ad ceteros Archiepiscopos et Episcopos Regni  
Lusitaniae. Scribendi occasionem necessitatemque inde habet  
quod alumni sacrorum claram Lusitaniae urbem indignis rebus  
commovissent. Itaque non modo aegritudinem testatur Suam,  
sed causam sumit idoneam cohortandorum Praesulum, ut iuven-  
tutis sacrae institutionem studiosissime accurent, si cordi eis  
est suppleri identidem Clerum sacerdotibus bonis. Neque vero  
satis esse edocet ad parandam optimorum sacerdotum copiam,  
solo in Seminario collocare curas: opus enim ad haec est ut nihil  
temere in adsciscendis sacrorum ministris fiat. His ad utilitatem  
Lusitaniae monitis, illud prostremo Se velle declarat, intermissum  
morem habendi Episcoporum coetus quamprimum revocari > 92

Epistola « Acre nefariumque bellum », die 14 mensis Maii, ad Episco-  
pos ceterosque locorum Ordinarios Reipublicae Aequatorianae.

De illatis ab iis, qui Reipublicae praesunt, in religionem catholicae iniuriis, expostulat, vereturque ne eorum exempla sensim in eos qui subsunt sic possint, ut istorum cum Romana Sede coniunctionem extenuent. Fideles vero monet ne e direptione ecclesiasticorum bonorum deminutum quidquam de sacro-sancto Ecclesiae dominio putent; eosque adhortatur ut redactae ad inopiam ecclesiae, pro divini cultus necessitatibus, subsidio veniant.

PAG. 95

Motu proprio « *La Croce Pectorale* », die 24 mensis Maii, de pectorali cruce etiam a Purpuratis Patribus gestanda, qui episcopali consecratione aucti non sint.

» 98

Epistola « *Inter plura et egregia* », die 31 mensis Maii, ad Abbatem generalem ordinis Cistercensium reformatorum. Tribus Congregationibus Cistercensium Trappistarum, Leonis XIII fel. rec. iussu, in Ordinem Cisterciensium Reformatorum seu strictioris observantiae coactis, opportunum dicit nonnulla praeescriptionum inculcare capita, quibus bene copta unitas et aequalitas disciplinae provehatur in melius

» 101

Bulla, seu Litterae Apostolicae « *Almae Urbis* », die 1 mensis Iunii, de duabus novis constituendis paroeciis Sanctae Mariae ad Aedem Novam et Sancti Ioachim in pratis de Urbe. Novissimis Urbis conditionibus, quae amplificata magnis aedificiorum accessionibus est, quum aliae complures, tum ea etiam est oborta necessitas, disparitatis adimendae paroeciarum, inter medias praesertim et eas quae in regionibus extremis sitae sunt; illas exiguum incolarum complexas numerum, istas patentes latissime incolisque redundantes. Quapropter paroeciis extinctis duabus, id est Sancti Thomae in vico Parione, et Sanctae Luciae del Gonfalone, duas earum loco, in templis longe opportunitibus, condit paroecias. quas supra nominavimus, hisque assignat bona, redditus, iura abolitarum paroeciarum omnia, ita quidem ut quae fuerunt paroeciae Sanctae Luciae, ea posthac paroeciae Sancti Ioachim sint, quae vero Sancti Thomas, ea ad paroeciam Sanctae Mariae pertineant.

» 105

Epistola « *Quibus Nos litteris* », die 8 mensis Iunii, ad augustissimum potentissimumque Imperatorem Sinarum. Gratum profitetur animum et pro litteris perurbanis, quibus, epistolae datae a Pontifice, bene ominandi causa, ad Imperatricem Sinarum, Imperator idem rescriperat, et pro munere per amplio ac maxime nobili, quo Sanctitatis Suae is donum rependerat. PAG. 109

Epistola « *Qui eucharisticum* », die 9 mensis Iunii, ad Ioseph S. R. E. Cardinalem Francica Nava di Bontisé, Archiepiscopum Catanensium. Indictum Catanae eucharisticum conventum laetitia, gratulatione et votis prosequitur, illud praesertim exoptans ut ea magis in coetu disserenda eligantur, quae ad actionem vitae pertineant. In his perpetuum Sacramenti cultum commendandum arbitratur. apud piarum Catanensium seminarum sodalitatem, et alibi etiam, multa cum laude florentem ➤ 110

Epistola Encyclica « *Il fermo proposito* » die 11 mensis Iunii ad Episcopos Italiae, de actione catholica. Actionis catholicae fines, perinde atque industriae ipsius Ecclesiae, latissime patere declarat, quippe qui universa recipient quae, directe obliqueve, sint instituto Ecclesiae consentanea, bona id est animorum, et civilem christianae religionis cultum. Istam vero maxime humitatem christianam qui, initis foederibus, assequendam spectent, ii sunt dicendi, in universa varietate operum, quorum se praestent auctores, actionem catholicam facere. Haec quidem actio nullo non tempore exstitit, re eadem, specie ac nomine dissimilis. - Qui eidem se dedant, eos esse oportet, ante omnia, catholicos non nomine tenus, sed vita, moribus, animi iudicio. - Operum vero, in quibus incumbat catholica actio necesse est, primum in solutione est situm *quaestionis socialis*, e principiis religionis catholicae derivanda, duce semper concordia animorum. Ad eam assequendam maximopere conducere declarat sodalitatem, cui nomen *unio popularis*, tentata aliis in locis et probata; isti, tamquam centro, opera cetera adhaerescant, communi sociata proposito, praesidiorum discriminine seiuncta. - Porro actio catholica omnino se exhibeat oportet aptam temporibus progressionique civilis cultus stu-

diorumque: et quoniam universis facultatem civitates faciunt dandi operam reipublicae moderandae, catholicos quoque id posse nemo dubitat. Quod hac in re sancitum a postremis duobus Decessoribus est, ne catholici ferant pro regenda civitate suffragia, idem, generatim, gravissimis de caussis, Pontifex sancit; addit autem, soluturum Se ab eiusmodi lege populos, episcoporum tamen rogatu, si quando reipublicae salus id postulet; sequitur debere catholicos ad alendam civitatis vitam sese mature apparare. - Hisce de dirimenda quaestione sociali positis, cetera etiam incepta Pontifex commendat, quae valere ad catholicam provehendam actionem possint, quaeque singulis dioecesisibus propriae sint. - Mox illud edicit, maximi vere ponderis, universa quae ad catholicam actionem pertineant, nec posse nec debere ab eorum, qui in Ecclesia praesunt, vigilantia et potestate subduci. Adiicit postremo vigilandum sedulo esse ne, qui e sacro clero sunt, ingenio acti temporum, pluris utilitates populi fluxas, quam sempiterna animorum bona facienda arbitrentur.

PAG. 112

Epistola « *Sancti Doctoris Alfonsi* », die 12 mensis Iunii, ad Leonardum Gaudé, Sacerdotem Sodalem Congregationis SS<sup>mi</sup> Redemptoris. Editam ab eo Theologiam Moralem Sancti Alfonsi de Ligorio nomini permittit dicari Suo, gratulaturque apparatum esse diligentissime

» 133

Epistola « *Vestrar e Fuldensi* », die 15 mensis Iunii, ad Georgium S. R. E. Cardinalem Kopp, Episcopum Vratislaviensium, Antonium S. R. E. Cardinalem Fischer, Archiepiscopum Coloniensium, ceterosque Archiepiscopos et Episcopos regni Borussiae. Legisse Se non sine multa delectatione litteras scribit, e Fuldensi congresione datas, utilitatemque e solemnibus Bonifacianis sive habitam sive expectandam plurimam esse agnoscit

» 135

Epistola « *Quae bona* », die 19 mensis Iunii ad Augustissimum Serenissimumque Principem Oscar II, Sueciae et Norvegiae Regem. De nuptiis Regalis Celsitudinis Suae Gustavi Adolfi-

phi, ducis de Scania, cum Regali Celsitudine Sua Margarita de Connaught gratulatur, feliciaque nuncupat vota pro Celsissimis Sponsis, itemque pro Rege et pro rei catholicae incremento

PAG. 137

Motu proprio « *Tutte le istituzioni umane* », die 20 mensis Iunii, quo veteres leges Sodalitatis musicae Pontificalis abolentur, novaque cantoribus e domo Pontificis disciplina, pro tempore ingenio, constituitur.

139

Epistola « *La benevolenza* », die 23 mensis Iunii, ad Marianum S. R. E. Cardinalem Rampolla del Tindaro, Patriarchalis Basilicae Vaticanae Archipresbyterum. Eum reddit certiores, deliberatum Sibi esse scholas Lycei, Philosophiae ac Theologiae in Pontificio Seminario Vaticano, utilitatis caussa, abolere, cauto ut qui alumni Theologiae studeant, Pontificiae Universitatis Gregorianae, qui vero e Lyceo sint, Pontificii Seminarii Romani Scholas frequentent.

» 142

Epistola « *Quem Burgensem* », die 25 mensis Iunii, ad Gregorium Mariam Archiepiscopum Burgensem, quem propterea laudibus honestandum censet quod Concilio Provinciali Burgensi cogendo operam dederit, idemque feliciter habuerit, decretaque ediderit conventu lata

» 144

Epistola « *Quae Nobis esset* » die 1 mensis Iulii ad Marcellum Archiepiscopum Hispalensium. Suam de catholicis in Hispania sodalitatibus mentem, plus semel patefactam, confirmat; foederatis eiusmodi coetibus ut catholici dent nomen opemque ferant, exoptat, quippe qui et commoditatem creent Religioni plurimam et necessitatibus temporum congruant; eorum postremo, quotquot in Hispania sunt consociationum harum auctores, sollertia probat; in primisque Hispalensium Archiepiscopum pro navata in rem opera laudat, beneque de Ecclesia meritum dicit

» 146

Motu proprio « *Sacrosancta Tridentina Synodus* », die 16 mensis Iulii, de examinibus ordinandorum in Urbe. Quandoquidem

neglecta nonnihil, decursu temporum, cernit quae sive Tridentina Synodus, sive Decessores de doctrinae periculo ab ordinandis rite faciendo monuerunt, quid in posterum in ea re sit praestandum enucleatius edicit et distinctius statuit

PAG. 149

Decretum « *Catholici Orbis dioeceses* », S. Congregationis Consistorialis, die 11 mensis Augusti, quo urbs *Pachuca* ab Archidioecesi Mexicana separatur et propiori dioecesi de *Tulancingo* coniungitur; civitas vero *Tula* cum vicariatu *Traxcuapan* a dioecesi de *Tulancingo* seiungitur et Metropolitanae Ecclesiae Mexicanae attribuitur

» 152

Epistola « *Habiti quotannis* », die 14 mensis Augusti ad virum claram Burguburn, Doctorem, Praesidemque coetus conventui LII catholicorum Germaniae apparando. Congressionem praemilientibus laudem impertit, et ex iis, quae congressuri persequenda constituerunt, auspicia fecundi exitus colligit.

» 155

Litterae Apostolicae « *In hac sublimi* », die 17 mensis Augusti, quibus e Vicariatu Apostolico territorii Indorum nova conditur dioecesis, *Oklahomensis* nuncupanda

» 158

Epistola « *Qui apparando* », die 4 mensis Septembbris, ad Antonium Joseph S. R. E. Cardinalem Gruscha, Archiepiscopum Vindobonensium. Proximum catholicorum totius Austriae conventum non tam, ut antea, in provehenda, quam in defendenda religione totum esse oportere monet, quandoquidem impie iniicitur serpitque error, catholicam rem iam non congruere praesenti humanitatis statui, illudque etiam osoribus Religionis propositum est, sub liberae scholae signis universos colligere, qui contra sentiant, disciplinamque educandae rite iuventutis e manibus nostris eripere

» 161

Epistola « *Per moleste equidem* », die 7 mensis Septembbris ad Simeonem episcopum de Nicaragua. Eum fuisse e patria exturbatum, eorum opera qui rempublicam administrant, conqueritur;

Epicopum solatur, spemque concipit fore ut liceat eidem patriam repetere.

PAG. 164

Epistola « *Tertio exeunte* », die 8 mensis Septembris, ad Aidanum Gasquet, Abbatem, et Congregationis Anglo-Benedictinae Praesidem. Quum trecenti explerentur anni, postquam S. Gregorii Magni in Anglia coenobium cepit initia, historiam Congregationis Anglo-Benedictinae, praecipueque monasterii illius perlustris commemorat. Ad solemnia vero efficienda celebriora, plura Pontifex, gratiae causa, Ordini indulget, eaque sive saeculari tantum profutura faustitati, sive perpetuo mansura. » 166

Epistola « *Auspicata appetente* », die 12 mensis Septembris ad Petrum Lambertum S. R. E. Cardinalem Goossens, Archiepiscopum Mechliniensium, et ad ceteros Belgarum episcopos. Praesules dilaudat, quod initum a Luitpoldo Rege consilium, templi, curatione publica, aedificandi honori Cordis Iesu, adiuvarint, populisque commendarint; dono dein Se mittere nuntiat, ei templo destinatum, calicem sacrificalem » 170

Epistola « *Magnopere Nos* », die 24 mensis Septembris, ad Emma-nuelm Archiepiscopum Limanorum et ad ceteros Episcopos Reipublicae Peruvianaæ. Ab iis, postquam una simul convene-rant, certior factus de rebus communiter actis, impertienda laude Pontifex resorbit, et, pro explorata eiusmodi conven-tuum utilitate, sanctissimæ legis instar illud servari velle declarat, quod in Plenario Americae Latinae Concilio prae-scriptum est, de episcopalibus coetibus exacto quoque triennio celebrandis » 172

Epistola « *Nostram Pastoris* », die 18 mensis Octobris, ad Franci-scum Archiepiscopum Westmonasteriensium. Catholicorum illius regni, praecipueque Archiepiscopi, successorum eius, curionum, magistrorum magistrarumque sollicitudinem de scholis catholice habendis multis laudibus ornat. Istam vero praestantissimam caussam valde commendat, quo citius vot-rum summam Anglia catholica adipiscatur, ne eorum quidem

posthabita opera, qui, et si a religione nostra dissident, nobis-  
cum tamen consentiant de iuventute religiose instituenda. PAG.

174

Epistola « *Illos vere* », die 29 mensis Octobris, ad Patritium  
Franciscum S. R. E. Cardinalem Moran, Archiepiscopum  
Sydneyensem praesidemque Australiensis Synodi tertiae, et  
ad ceteros Archiepiscopos et Episcopos Australiae. Fructibus  
delectari Se profitetur e tertia illa Synodo perceptis, Episco-  
pisque gratulatnr quod fideles doceant exempla pietatis et fidei  
acatholicias tradere .

» 176

Litterae Apostolicae « *Opus a Praeservatione Fidei* », die 1 mensis  
Novembri, quibus utilitatem necessitatemque operis eiusdem  
describit, eique provehendo plures, e caelesti Ecclesiae the-  
sauro, gratias promit, fidelium sacerdotumque commodo, qui  
adscripti aut adscribendi operi sint .

» 178

Allocutio « *Duplicem, nostis* », habita in Consistorio die 14 mensis  
Novembri anno superiore 1904. Antequam de duobus Beatis  
viris in Sanctorum album rite referendis, et de novis creandis  
episcopis agat, iniurias persecutur exponitque principes, in  
Ecclesiam, ab iis qui Galliae praesunt, illatas. Pactas, supe-  
riore saeculo, inter Apostolicam Sedem et Galliam conditiones  
memorat, evincitque praestitis, quae spoponderat, Ecclesiam  
singula, de nominandis per civitatem episcopis, de servandis  
securitatis publicae legibus, de verenda, quaecumque ea de-  
mum fuerit, temperatione civitatis, de custodienda transactione,  
suarum causa facultatum, inita; non item praestitis, quae  
sua essent ex foedere officia, rempublicam, quippe quae nec  
liberam permiserit facultatem catholicae religionis in Gallia  
profitendae; nec religiosas sodalitates siverit in patria conse-  
stere; nec, quod gravius longe est, in cooptatione episcoporum  
passa sit explorari per Pontificem designatorum merita, eosque,  
si forte oportuisset, reiici, qui minus idonei fuissent reperti; nec  
eos, interea, permittat canonice institui, qui probati Ecclesiae  
sint; nec denique foedus, immo iustitiam de sustentatione prae-  
benda Clericis, non, pro libidine, perfringat. Igitur iura san-

ctissima Ecclesiae esse violata, notataque alieno criminis dignitatem Sedis Apostolicae publice conqueritur, nullo tamen cum sensu acerbitatis in quemquam.

Mox Beatum Alexandrum Sauli et Beatum Gerardum Maiella, cognita rite causa Canonizationis, Sanctorum honoribus auget; postremo Paulum Sabbaghian, ab Episcopis Armenio ritu ad Patriarchatum Ciliciensem Armeniorum eventam, Petrumque XII nominatum, confirmat, ordinemque supplet Episcoporum

P.A.E. 184

Epiſtola « Poloniae populum », die 3 mensis Decembris ad Archiepiscopum et Episcopos Poloniae, quae Russico Imperio paret. Amantissimus Poloniae universae Pontifex, eam modo alloquendam Poloniae partem existimat quae Russiarum Imperio subest, idque praesentium calamitatum cauſsa. Episcopos itaque adhortatur ut in restituenda pace concordiaque adlaborent, quibus quidem redintegrandi bonis id censet prodease, si quis mala reputet Poloniam exagitantia, officiaque consideret, quibus Episcopi fidelesque teneantur. Mala quae sint attigit, eorumque fontes deseribit. Quae dein ad repellenda mala conducant, enarrat, eaque nihil esse aliud monet, quam officia catholicorum. In his primo loco est collocanda fidei catholicae professio, opere, non verbis, explenda: secundo, debere Polonos, in perturbatione reipublicae, tum ab ordine et pace stare, tum etiam, ad tuendam tranquillitatem pacis, in soliditates coetusque coire, turbulentorum civium secutos morem; postremo, eniti eosdem opus esse, quatenus legibus concedatur, ut catholicis adolescentibus catholica pateant gymnasia. Scribendi finem facturus, Imperatoris Russiarum elementiam laudat, quod de conscientiae libertate securos ille populos effecerit.

► 197

Litterae Apostolicae « In Litteris Nostris », die 5 mensis Decembris, quibus, veteri disciplina et temperatione Archisodalitatis Doctrinae Christianae iam non congruente novis rerum adiunctis, Archisodalitatis leges, apte ad tempora, corriguntur et emendantur

► 205

- Litterae Decretales « *Calamitosis hisce temporibus* », die 11 mensis Decembris a. 1904, quibus Beato Alexandre Sauli, e Sodalitate Clericorum Regularium Sancti Pauli, Barnabitarum, Episcopo Aleriensi primum, deinde Papiensi, Sanctorum caelitum honores decernuntur. PAG. 211
- Litterae decretales « *Haud tenui* » die 11 mensis Decembris a. 1904, quibus Beatus Gerardus Maiella, e Sodalitate SSimi Redemptoris, in numerum Sanctorum Caelitum refertur » 229
- Epistola « *Universos illustrare codices*, » die 18 mensis Decembris, ad Franciscum Wickhoff, Doctorem decurialem Instituti Vindobonensis Historiae Austriacae excolendae. Opus ab eo et ab adiutoribus edi coeptum, quod ad universos illustrandos codices bibliothecarum Austriae pertinet, multis laudibus prosequitur, declaratque quamobrem commendabile Pontifici singularem in modum videatur » 246
- Epistola « *Dilectus Filius* », die 20 mensis Decembris ad Abbates universi Ordinis Benedictini. Eos hortatur ut Gerardum Van Caloen, in eo adlaborantem ut Brasiliae gentibus catholici apostolatus commoda comparet, iuvare contendant, monachis auxilio missis. » 248
- Decretum « *Sacra Tridentina Synodus* » S. Congregationis Concilii, die 20 mensis Decembris, quo cotidiana sancti altaris communio commendatur » 250
- Decretum « *Vetuit S. Tridentina Synodus* » S. Congregationis Concilii, die 22 mensis Decembris, quo de admittendis in Seminariis alumnis, alio e Seminario aut e religiosa quavis sodalitate dimissis, sanciuntur leges » 257